QUAE RATIO INTERCESSERIT INTER SINGULAS ARGOLIDIS CIVITATES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XI. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXII H. X.

PUBLICE DEFENDET

GUILELMUS LILIE
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

A. PROSKE, DR. PHIL.
E. NAUCKE, SEM. PHIL. SEN.
C. LILIE, SEM. PHIL. SOD.

VRATISLAVIAE.
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII (W. FRIEDRICH).

PATRI OPTIMO

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS QUALESCUNQUE

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Terram, quae a veteribus scriptoribus duplici nomine vel *Ἀργολίς* vel *Ἀργεία* appellatur, post heroicam demum aetatem ita nominatam et certis finibus circumscriptam esse videmus; Homerus Argolidem, quam nos hoc nomine intelligimus, neque commemorat neque omnino commemorare potuit. Trojano enim bello ex Homeri catalogo videmus Argos et Mycenas fuisse capita diversorum regnorum, quae post Trojanum bellum uni regi subjecta majorem totius Peloponnesi partem continebant. Regna enim Argivorum et Mycenaeorum regum quam late patuerint Homerus in catalogo Il. *β*. 559 sq. describit:

Οἵ δ' Ἄργος τ' εἶχον Τίρυνθά τε τειχιόεσσαν,
Ἑρμιόνην Ἀσίνην τε βαθὺν κατὰ κόλπον ἐχούσας,
Τροιζῆν' Ἠϊόνας τε καὶ ἀμπελόεντ' Ἐπίδαυρον,
οἵ τ' ἔχον Αἴγιναν Μάσητά τε κοῦροι Ἀχαιῶν,
τῶν αὖθ' ἡγεμόνευε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης etc.
569. *Οἳ δὲ Μυκήνας εἶχον, ἐϋκτίμενον πτολίεθρον*
ἀφνειόν τε Κόρινθον ἐϋκτιμένας τε Κλεωνάς,
Ὀρνειάς τ' ἐνέμοντο Ἀραιθυρέην τ' ἐρατεινὴν
καὶ Σικυῶν', ὅθ' ἄρ' Ἄδρηστος πρῶτ' ἐμβασίλευεν,
οἵ θ' Ὑπερησίην τε καὶ αἰπεινὴν Γονόεσσαν
Πελλήνην τ' εἶχον, ἠδ' Αἴγιον ἀμφενέμοντο
Αἰγιαλόν τ' ἀνὰ πάντα καὶ ἀμφ' Ἑλίκην εὐρεῖαν,
τῶν ἑκατὸν νηῶν ἦρχε κρείων Ἀγαμέμνων
Ἀτρείδης. ἅμα τῷ γε πολὺ πλεῖστοι καὶ ἄριστοι
λαοὶ ἕποντ'· ἐν δ' αὐτὸς ἐδύσετο νώροπα χαλκὸν etc.

Itaque haec regna latius patuerunt quam ejus terrae fines, quam postea Argolidem intelligimus. Strabone[1]) testante ambo regna in unum conjunxit ipse Agamemnon, quem qui secuti sunt Lacedaemoniorum quoque adepti sunt regnum[2]). Quare quum tanta esset Argorum urbis potentia, nullum aptius nomen inveniri potuit designandae non solum Peloponneso[3]) sed etiam toti Graeciae, atque permultis locis universam Graeciam ab Homero appellatam esse *Ἄργος* satis notum est[4]).

Tisameno igitur totius fere Peloponnesi rege Heraclidae cum Doriensibus conjuncti Peloponnesum ingressi sunt, quam inde ab hoc demum tempore patet dilapsam esse in certas partes, quas alii scriptores quinque, alii sex fuisse perhibent. Tres Doriensium partes erant Messenia, Laconica, Argolis, quae terrae tum demum his nominibus appellari et certis finibus circumscribi coeptae sunt. Messenia et Laconica, quarum conditores in Laconica fuerunt Eurysthenes et Procles, in Messenia Cresphontes, postea in unius regni formam redactae sunt. Aliter res se habuit in tertia parte, quae ab urbe Argis Argolis appellata est; haec enim terra statim a primo post Doriensium migrationem tempore in complura regna discessit; Temenus rex tantum minoris terrae partis habendus est, ceterae Argolidis partes ab heroibus, qui fuerant in Temeni exercitu, demum subjectae sunt. Itaque quaerendum est, quae ratio inter ceteras civitates et Argos, a qua urbe tota terra accepit nomen, intercesserit. Aliqua enim societate omnes quae hac in terra sitae erant civitates copulatas esse vix quisquam negare pote-

---

[1]) VIII, 372: *περιστάντων γὰρ εἰς τοὺς Ἀτρέως παῖδας ἁπάντων, Ἀγαμέμνων ὢν πρεσβύτερος παραλαβὼν τὴν ἐξουσίαν ἅμα τύχῃ τε καὶ ἀρετῇ πρὸς τοῖς οὖσι πολλὴν προσεκτήσατο τῆς χώρας, καὶ δὴ καὶ τὴν Ἀργολικὴν τῇ Μυκηναίᾳ προσέθηκε. Μενέλαος μὲν δὴ τὴν Λακωνικὴν ἔσχε, Μυκήνας δὲ καὶ τὰ μέχρι Κορίνθου καὶ Σικυῶνος καὶ τῆς Ἰώνων μὲν τότε καὶ Αἰγιαλέων καλουμένης Ἀχαιῶν δὲ ὕστερον Ἀγαμέμνων παρέλαβε.*

[2]) Paus. II. 18. 5: *οὐ μέντοι παῖδας κατέλιπεν (Κυλαράβης ὁ Σθενέλου) οὐδ' οὗτος, ἀλλὰ Ὀρέστης ὁ Ἀγαμέμνονος τὸ Ἄργος κατέσχε παροικῶν τε ἐγγὺς αὐτῷ καὶ ἄνευ τῆς πατρῴας ἀρχῆς προσπεποιημένος μὲν Ἀρκάδων τοὺς πολλούς, παρειληφὼς δὲ καὶ τὴν ἐν Σπάρτῃ βασίλειαν. . . . . Ὀρέστου δὲ ἀποθανόντος ἔσχε Τισαμενὸς τὴν ἀρχὴν Ἑρμιόνης τῆς Μενελάου καὶ Ὀρέστου παῖς . . . ἐπὶ δὲ τοῦ Τισαμενοῦ τούτου κατίασιν εἰς Πελοπόννησον Ἡρακλεῖδαι* etc.

[3]) Odyss. δ. 726. 816. ο. 80.

[4]) Il. ι. 246. 283.

rit, quippe quod commune terrae nomen satis demonstret, neque minus constat Argos caput societatis fuisse; sed vincula hujus societatis qualia singulis civitatibus fuerint, nondum satis exploratum est. Elucet enim, diversa rei publicae conditione singulas civitates esse usas, alias suam rempublicam separatim habuisse, alias arctiore vinculo cum Argivorum civitate conjunctas fuisse, veluti Corinthios aliosque populos nunquam Argis subjectos videmus, nisi Phidone regnante, qui in breve tantum temporis spatium non solum Argolidis civitates, verum etiam alios Peloponnesi populos imperio suo subditos habuit; alios autem veluti Ornearum vel Mycenarum incolas aliquo modo Argis urbi subjunctos fuisse neminem effugere potest. Atque ea quidem est virorum doctorum, qui de Argivis antiquitatibus scripserunt, sententia, ut inde a primis Doriensium migrationis temporibus omnes Argolidis civitates pari modo putent Argivorum socias fuisse, mox autem aut subjectas ab his esse aut alienatas; sed neque ullis argumentis probare possunt, unquam alterius generis civitates ab Argivorum foedere descivisse, et prioris generis civitates non ita subjectae sunt, ut illi opinantur. Sed priusquam in virorum illorum sententias inquiram, ego meis usus argumentis filum nanscisci studebo, cujus ope ad conditionem singularum civitatum cognoscendam mihi iter aperiam. Atque ego quidem sperabam ex amborum quibus veteres scriptores ad terram significandam utuntur nominum Ἀργολίς et Ἀργεία discrimine, quod olim observasse mihi visus sum, lucem aliquam redundaturam esse ad disparem singularum civitatum conditionem definiendam; sed omnino spe destitutus sum, quoniam discrimen illud prorsus nullum esse postea intellexi; ambobus enim nominibus scriptores promiscue utuntur. Hoc tamen pro certo affirmari potest, scriptores utrumque nomen duplici sensu usurpasse, et ita ut totam terram amplecteretur, quam nos Argolidem intelligimus, et ita ut arctiorem haberet ambitum eaque tantum, quae aliquo arctiore vinculo Argis urbi alligabantur, territoria contineret. Cujus rei certissima testimonia Pausanias edit, quem hac in re potissimum ducem sequamur. Pausanias enim totam terram, cujus fines sunt ab oriente sinus Argolicus et sinus Saronicus, a septentrione Corinthiacus et isthmus et sinus, ab occasu ille montium tractus, qui e Cyllene Arcadiae monte oriens totam Argolidis partem occidentalem reddit montanam et asperam et

mons Parthenius, a meridie montium is tractus, qui a Parnone oriens orientem versus procurrit, communi nomine *Ἀργολίδα* vel *Ἀργείαν* nominat[1]. Sed idem auctor utrumque nomen ita quoque ponit, ut non totam illam, cujus fines modo descripsi, terram significet, sed arctiore notione partem tantum, ubi Argi urbs ipsa civitatesque ei proxime adjacentes sitae erant; cujus rei jam nonnulla testimonia allaturus sum. In ea enim libri sui parte, ubi de terra Argolide dicit, postquam Corinthum, Phliuntem, alias civitates descripsit, quas *μοίρας εἶναι Ἀργείας* dixerat, transiens ad descriptionem Epidauri ita pergit[2]: *κατὰ δὲ τὴν Λῆσσαν ἔχεται τῆς Ἀργείας ἡ Ἐπιδαυρίων*, quo loco manifestum est, vocem *Ἀργείαν* multo arctiorem habere notionem quam iis quos supra attuli locis. Similis locus legitur VIII. 1. 1., ubi Pausanias civitates enumerat, quae sinu Argolico alluuntur: *Κορινθίοις δὲ τὰ πρὸς θαλάσσης εἰσὶν Ἐπιδαύριοι γείτονες· τὰ δὲ ἐς Ἐπίδαυρον καὶ Τροιζῆνά τε καὶ Ἑρμιόνα ὁ κόλπος ἐστὶν ὁ Ἀργολικὸς καὶ ὅσα ἐπιθαλάσσια τῆς Ἀργείας.* Hoc quoque loco *Ἀργεία* vox arctiorem tantum quem significavi habet sensum; complectitur enim ea non omnes totius Argolidis civitates, quum Epidaurus, Troezen, Hermione, quae et ipsae sunt totius terrae partes, separatim enumerentur. Ut tertium afferam locum Pausanias IV. 11. 8. dicit: *διὰ πολεμίας γὰρ ἐγίνετο ὁμοίως διά τε τῆς Ἀργείας πειρωμένοις καὶ παρὰ Σικυῶνα ἀνασωθῆναι*, quo loco certe *Ἀργεία* aliam notionem habet quam VIII. 1. 2., ubi de Sicyoniis dicitur: *τὰ δὲ πρὸς Λεχαίου Κορινθίοις Σικυώνιοι προσοικοῦσιν ἔσχατοι ταύτῃ μοίρας τῆς Ἀργολίδος.*

Quae quum ita sint, dubitari amplius non poterit, quin e duplici illius nominis notione concludi possit, diversa quoque conditione singulas civitates Argolicas usas esse, prout quaeque aut intra aut extra fines illius arctioris partis sita fuerit. Jam quaerendum est, quae urbes in terra Argiva, quae arctiore

---

[1]) Veluti de Corintho dicit II. 1. 1: *ἡ δὲ Κορινθία χώρα, μοῖρα οὖσα τῆς Ἀργείας* et de Sicyone VII. 26. 12: *Τῆς δὲ Αἰγειρατῶν ἔχονται Πελληνεῖς· πρὸς Σικυῶνος δὲ οὗτοι καὶ μοίρας τῆς Ἀργολίδος Ἀχαιῶν οἰκοῦσιν ἔσχατοι;* neque minus Thyreatidem terram partem fuisse Argolidis idem testatur II. 29. 5: *γενόμενοι δὲ (Αἰγινῆται) ὑπὸ Ἀθηναίων ἀνάστατοι Θυρέαν τὴν ἐν τῇ Ἀργολίδι Λακεδαιμονίων δόντων ᾤκησαν;* idem Herodotus dicit hac de terra I. 82: *τὰς γὰρ Θυρέας ταύτας ἐούσας τῆς Ἀργολίδος μοίρης ἀποταμόμενοι ἔσχον οἱ Λακεδαιμόνιοι.*

[2]) II. 26. 1.

notione ita appellabatur, sitae fuerint. Quamquam neque Pausanias neque ullus alius scriptor harum urbium, quae fuerint quoque societatis vel dominationis vinculo cum Argis urbe conjunctae sint, usquam diserte mentionem facit, tamen si accurate Pausaniae descriptionem persequimur et quo ordine singulas civitates descripserit observamus, dubitare non possumus, quibus finibus Argolis, quae arctiore notione appellabatur, circumscripta sit. Ab occidente separat hanc partem ab Arcadia mons Parthenius, a septentrione *Τρητόν* quod dicitur, ab oriente mons Arachnaeus. *Τρητόν* [1]) inter Cleonas procurrit et Mycenas; Arachnaeus mons [2]) super Lessam vicum situs est, ubi Pausanias disertis verbis dicit fines esse inter Epidauriam et Argivam terram; alius mons, qui et ipse imminet Lessae vico, est Cynorthius [3]). A meridie Argivam terram a Laconica separabat Cynuria terra, quod Thucydides [4]) testatur; eos tamen incertissimos fines fuisse et bella docent, quae Argivi cum Spartanis hac de terra gesserunt, et Strabo [5]) testis est. Herodotus [6]) denique testatur, olim a meridie eum montium tractum, qui a Parnone oriens in promontorium Maleam desinit, finem Argivorum fuisse. Sed omissa nunc hac quaestione, quam late meridiem versus fines Argivorum patuerint, si ceteros fines respicimus, ipsa terrae natura, ex qua campus montibus undique septus efficitur, arctiorem incolarum consociationem postu-

---

[1]) Paus. II. 15. 2: *Ἐκ Κλεωνῶν δέ εἰσιν ἐς Ἄργος ὁδοὶ δύο, ἡ μὲν ἀνδράσιν εὐζώνοις, καὶ ἔστιν ἐπίτομος, ἡ δὲ ἐπὶ τοῦ καλουμένου Τρητοῦ*, et II. 15. 4: *Ἀνελθοῦσι δὲ ἐς τὸν Τρητὸν καὶ αὖθις τὴν ἐς Ἄργος ἰοῦσίν ἐστι Μυκηνῶν ἐρείπια ἐν ἀριστερᾷ.*

[2]) Paus. II. 25. 10: *ἔστι δὲ ὄρος ὑπὲρ τῆς Λήσσης τὸ Ἀραχναῖον* et II. 26. 1.: *Κατὰ δὲ τὴν Λῆσσαν ἔχεται τῆς Ἀργείας ἡ Ἐπιδαυρίων.*

[3]) Paus. II. 27. 7: *Ὄρη δέ ἐστιν ὑπὲρ τὸ ἄλσος τό τε Τίτθιον καὶ ἕτερον ὀνομαζόμενον Κυνόρτιον.*

[4]) IV. 56: *„ἐκ δὲ αὐτῶν περιέπλευσαν ἐς Ἐπίδαυρον τὴν Λιμηράν, καὶ δῃώσαντες μέρος τι τῆς γῆς ἀφικνοῦνται ἐπὶ Θυρέαν, ἥ ἐστι μὲν τῆς Κυνοσουρίας γῆς καλουμένης, μεθορία δὲ τῆς Ἀργείας καὶ Λακωνικῆς.“*

[5]) I. 65: *μὴ ὄντων γὰρ ἀκριβῶν ὅρων καθάπερ Κολυττοῦ καὶ Μελίτης, οἷον στηλῶν ἢ περιβόλων, τοῦτο μὲν ἔχειν φάναι ἡμᾶς ὅτι τουτὶ μέν ἐστι Κολυττὸς τουτὶ δὲ Μελίτη, τοὺς ὅρους δὲ μὴ ἔχειν εἰπεῖν. διὸ καὶ συμβαίνειν κρίσεις πολλάκις περὶ χωρίων τινῶν, καθάπερ Ἀργείοις μὲν καὶ Λακεδαιμονίοις περὶ Θυρέας, Ἀθηναίοις δὲ καὶ Βοιωτοῖς περὶ Ὠρωποῦ.*

[6]) I. 82: *ἦν δὲ καὶ ἡ μέχρι Μαλεῶν ἡ πρὸς ἑσπέρην Ἀργείων, ἥ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ χώρη καὶ ἡ Κυθηρίη νῆσος καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν νήσων.*

lare videtur. Quae urbes intra hos fines sitae fuerint optime docemur Pausaniae aliquo loco, qui legitur VIII. 27. 1: *ἐπειδὴ δὲ ἀνθρώπων πλήθει τὸ Ἄργος ἐπηύξησαν, καταλύσαντες Τίρυνθα καὶ Ὑσιάς τε καὶ Ὀρνεὰς καὶ Μυκήνας καὶ Μίδειαν καὶ εἰ δή τι ἄλλο πόλισμα οὐκ ἀξιόλογον ἐν τῇ Ἀργολίδι ἦν.* Quo loco *Ἀργολίδα* minorem illam totius terrae partem intelligi vix est quod commemorem. Erant igitur urbes hae: Tiryns, Hysiae, Orneae, Mycenae, Midea; duae praeterea addendae sunt, quarum incolas jam antea sedibus Argivi excitaverant, Asine et Nauplia. Quae contra extra illos fines in reliqua Argolidis parte sitae erant civitates, fuerunt Corinthus, Sicyon, Phlius, Cleonae, Epidaurus, Troezen, Hermione, Aegina insula. Utriusque generis civitates aliquo certe quamquam diverso genere cum Argivorum civitate conjunctae erant; alterius generis civitates rempublicam separatim habebant bellique ac pacis consilia a ceteris sejunctae inibant, alterius generis civitates, quum de multis rebus communiter cum Argivis consuluerint, vel si quando invitis Argivis a communibus consiliis desciscere ausae erant, poenas incepti dare sint coacti, licet suam quaeque rempublicam separatim habuerint, tamen arctiore societatis vel dominationis vinculo Argivis alligatas fuisse facile colligi potest. Quare tota haec commentatio bipartita erit instituenda; in priore parte de iis agendum erit et qua usae sint conditione describendum civitatibus, quae intra arctioris, ut ita dicam, Argolidis fines sitae erant, in altera de ceteris totius Argolidis civitatibus.

CAPUT PRIMUM.

Quod Muellerus et Wachsmuthius, nam cum his doctissimis viris potissimum nobis res erit, de Argivorum imperio tum minuto tum propagato statuunt, prorsus falsum existimari debet; ille [1]) dicit: Die Ausdehnung der Argivischen Macht in der Umgegend war sehr unsicher und schwankend; neque minus false Wachsmuthius judicat, qui de totius Argolidis conditione dicit [2]): Argos rang nach der Hegemonie in seiner Landschaft ohne vollständigen und dauerhaften Erfolg; Epidaurus, Troezen u. A. sonderten sich früh, et paulo infra: nicht blos die Städte der Akte, Epidaurus, Troezen, Hermione und die Halieis behaupteten gegen die Zeit der Perserkriege sicher ihre Selbstständigkeit; auch die alte Atridenburg Mykenae erhob sich noch einmal und strebte nach dem Vorsitze in der Panegyris von Nemea, und die Orneaten erlangten ihre Freiheit. Idem dicit [3]): Früher war vermuthlich die Stellung der Bürgerschaft von Argos gegen die in den Nachbarstädten eine oberherrliche, wie die der Spartiaten gegen die Lacedaemonier gewesen; nach jener Niederlage aber (sc. Cleomenis) versuchten mehrere Orte, als Cleonae, Orneae, Midea unbeschränkte Selbständigkeit zu behaupten; et paulo infra ita pergit: So war Argos zunächst fast auf sich allein und die kleinen Orte in der städtischen Feldmark beschränkt. Wachsmuthium in eo potissimum errare puto, quod non distinguit Argolidem, quae arctiore sensu dicebatur, ab ea, quae totam terram amplectebatur, quas accurate alteram ab altera distinguendas esse supra demon-

---

[1]) Dor. I. 159.

[2]) Hellenische Alterthumskunde I. 24. p. 177.

[3]) I. 81. p. 716.

stravi. Sed uterque, et Muellerus et Wachsmuthius, errare mihi videntur de conditione, qua urbes inter arctiores Argolidis fines sitae utebantur. Muellerus enim dicit, Argivorum imperium regionis circumjacentis, quam late singulis temporibus pateret, incertissimum fuisse; Wachsmuthius audacius etiam contendit, post cladem a Cleomene Spartanorum rege acceptam Argivis nihil jam fuisse reliquum nisi urbem ipsam Argos eique adjacentem proxime terram. Quare uterque statuit inter Argivos ipsos et incolas earum quae in Argolide sitae erant urbium talem rationem intercessisse, qualis intercedat inter victores et victos; singulas urbes, quum in Argivorum ditionem redactae essent, summo opere semper id egisse, ut occasione opportuna data odiosum dominationis Argivae jugum excuterent; itaque Argivorum imperium tum imminutum esse tum propagatum, prout Argivis satis virium fuisset ad has urbes in obsequio retinendas. Sed profecto ceterae urbes cum Argivorum urbe junctae erant non ad tempus ut victi cum victoribus, sed stabili et perpetuo vinculo, quod divelli non poterat nisi Argivorum tota republica sublata. Nam in tam exiguo spatio, quod montibus undique septum fere unius reipublicae corpus efflagitare videtur, neque Argi urbs ipsa salva esse poterat circumclusa a tot civitatibus inimicissimis et tempus defectionis circumspicientibus; neque ceterae civitates ipsae per se debiles salvae esse potuerunt, nisi adscriptae potentiori alicui civitati. Jam inde quod scriptores Argolidem arctiorem commemorant, in qua has civitates sitas esse dicunt, eamque certis finibus circumscribunt velut Pausanias, ut distinguatur a tota Argolide, concludi potest, perpetuum aliquod vinculum consociasse omnes hujus terrae urbes. Etenim communi unius terrae nomine comprehenduntur eae tantum, quae arctiore et diuturniore aliquo foedere conjunguntur urbes, non eae, quae foedus vel aequum vel iniquum tum jungunt, tum rursus dissolvunt, id quod inter victores et victos usu venit.

Jam quaeritur, quamnam rationem intercessisse statuendum sit inter ceteras Argolidis urbes et inter Argos ipsos. Non sane alienum esse videtur ad similitudinem reipublicae Lacedaemoniorum refugere, apud quos Dorienses Laconica potiti Spartam caput totius terrae fecerant ibique habitabant, veteres autem terrae incolae, homines Achaicae stirpis, Doriensibus iniquo foedere subjuncti cetera Laconicae oppida obtinebant.

Quam sententiam Muellerum et Wachsmuthium amplexos esse video; hic dicit[1]): Den Ausschlag für die Macht des letzteren (des Demos) gab die Einbürgerung der Periöken nach dem Verlust von viertausend Altbürgern durch Cleomenes, Muellerus dicit[2]): Die andern genannten Städte (exceptis Mycenis et Tirynthe) dagegen waren, wie wir von Orneae und auch Hysiae wissen, vorher schon Periöken, Unterthanen von Argos, gewesen und wurden jetzt zur Vergrösserung der Hauptstadt herangezogen; idem dicit alio loco[3]): Aber auch Periöken hatten die Argeier, welche mit einem besondern Namen Orneaten genannt wurden. . . . . Diese Orneaten oder Periöken bildeten also Gemeinden für sich, wie die Lakonischen, und zwar bis gegen den Persischen Krieg. Denn zu dieser Zeit zogen die Argeier, wie oben nachgewiesen, die umliegenden Periökischen Gemeinden zur Ergänzung und Vermehrung ihrer eigenen Zahl an sich und machten sie zu Stadtbürgern etc.

Jam locos, quibus nisi hanc conjecturam faciunt, afferre et examinare volumus. Postquam Cleomenes, Spartanorum rex, tantam victoriam de Argivis reportavit, ut jam ad portas Argorum ipsas staret, tot Argivi caesi erant, ut quocunque modo numerum civium augere cogerentur. Ad hanc cladem pertinet locus Aristotelis[4]): *Καὶ ἐν Ἄργει, τῶν ἐν τῇ Ἑβδόμῃ ἀπολομένων ὑπὸ Κλεομένους, τοῦ Λάκωνος, ἠναγκάσθησαν παραδέξασθαι τῶν περιοίκων τινάς.* Muellerus[5]) adnotat ad hunc locum: Nachdem eine Zeitlang die Leibeigenen oder Gymnesier von Argos die der Freien entblösste Stadt beherrscht und verwaltet hatten, bis die indess herangewachsene Jugend sie vertrieb und überwand: sahen sich die Argeier, wie Aristoteles erzählt, genöthigt, um die zusammengeschmolzene Bürgerschaft zu ergänzen, die umwohnenden Unterthanen der Stadt, die Periöken, an sich zu ziehen und in die nächste Umgegend zu vertheilen.

Perioecos, de quibus Aristoteles dicit, incolas oppidorum Argolicorum fuisse, hoc unde colligunt viri docti, hos invenio locos:

---

[1]) I. 50. p. 428.
[2]) I. 176.
[3]) II. 52.
[4]) Pol. V. 2. 8.
[5]) I. 175.

Paus. II. 25. 6: *Ἀργεῖοι δὲ ὕστερον τούτων Ὀρνεάτας ἀνέστησαν· ἀναστάντες δὲ σύνοικοι γεγόνασιν Ἀργείοις.*

Paus. II. 25. 8: *ἀνέστησαν δὲ καὶ Τιρυνθίους Ἀργεῖοι, συνοίκους προσλαβεῖν καὶ τὸ Ἄργος ἐπαυξῆσαι θελήσαντες.*

Paus. VIII. 27. 1: *συνῆλθον δὲ ὑπὲρ ἰσχύος ἐς αὐτὴν οἱ Ἀρκάδες. ἅτε καὶ Ἀργείους ἐπιστάμενοι τὰ μὲν ἔτι παλαιότερα μόνον οὐ κατὰ μίαν ἡμέραν ἑκάστην κινδυνεύοντας ὑπὸ Λακεδαιμονίων παραστῆναι τῷ πολέμῳ, ἐπειδὴ δὲ ἀνθρώπων πλήθει τὸ Ἄργος ἐπηύξησαν καταλύσαντες Τίρυνθα καὶ Ὑσιάς τε καὶ Ὀρνεὰς καὶ Μυκήνας καὶ Μίδειαν καὶ εἰ δή τι ἄλλο πόλισμα οὐκ ἀξιόλογον ἐν τῇ Ἀργολίδι ἦν, τά τε ἀπὸ Λακεδαιμονίων ἀδεέστερα τοῖς Ἀργείοις ὑπάρξαντα καὶ ἅμα ἐς τοὺς περιοίκους ἰσχὺν γενομένην αὐτοῖς.*

Addendus est praeterea Herodoti locus VIII. 73: *οἱ δὲ Κυνούριοι αὐτόχθονες ἐόντες δοκέουσι μόνοι εἶναι Ἴωνες, ἐκδεδωρίευνται δὲ ὑπό τε Ἀργείων ἀρχόμενοι καὶ τοῦ χρόνου, ἐόντες Ὀρνεῆται καὶ περίοικοι.*

Sed perlegenti mihi diligenter hos locos, ne tenuissimum quidem indicium deprehendere contigit, unde merito suspicari quisquam possit, incolas horum oppidorum perioecos fuisse. Maxime favere videtur ei conjecturae locus Herodoti; is tamen tam obscurus est et in tam varias partes verşari potest, ut diligentiore commentatione indigeat; quare hoc de loco infra copiosius disputandum erit. Sed huic sententiae non modo non favet, verum etiam repugnat Pausaniae locus VIII. 27. 1, quo potissimum nisi viri docti hanc conjecturam faciunt, prorsus nulla ratione habita horum quae continet locus verborum: *τά τε ἀπὸ Λακεδαιμονίων ἀδεέστερα τοῖς Ἀργείοις ὑπάρξαντα καὶ ἅμα ἐς τοὺς περιοίκους ἰσχὺν γενομένην αὐτοῖς*, ubi disertis verbis Argivi propterea incolas oppidorum Argolicorum Argos adscivisse dicuntur, et ut Lacedaemoniis satis virium opponere possent et ut facilius perioecos in obsequio possent retinere; si Argivi alteram tantum perioecorum partem in urbem adscivissent, cujus auxilio alteram quominus descisceret impedire possent, Pausaniam hoc silentio non praetermissurum fuisse putandum est. Quodsi e Pausaniae loco concludi potest urbium incolas qui Argos deducebantur perioecos non fuisse, quum in Argolica similiter atque in Laconica Doriensibus, qui Temeno duce Argolicam occupaverant, jus libertatis integrum esset, veteres terrae incolae Achaicae stirpis maximam partem expertes

essent reipublicae, cetera quoque Argolicae oppida patet pariter atque Argos ipsos a Doriensibus inculta esse, qui pari omnino conditione et honore essent ac cives Argivi. Sed quamvis haec ita sint, tamen uni huic Pausaniae loco non tantum tribuerem, quo nisus hoc dicerem compertum mihi esse, nisi aliae causae accederent, e quibus Dorienses singula Argolicae oppida elucet sedes habuisse et perioecos, id quod ipsorum nomen significat, agros singulis urbibus adjacentes habitasse et coluisse. Ac primum quidem plane incredibile est, perioecos ipsos oppida illa habitare Argivos passos esse, quorum pleraque moenibus firmis cincta fuisse scimus velut Tirynthem, Mycenas, Asinen, alia; sed oppida ipsa vel certe eorum arces a Doriensibus ipsis occupatae esse videntur, qui postero tempore eo revocati sunt, unde missi erant; periocos autem, licet parva pars eorum in civitatem Argivam reciperetur, tamen maximam partem ibi remansisse putandum est, ubi jam antea habitaverant. Certe qui agros colere et res ad cultum victumque corporis necessarias subministrare possent, in illis regionibus relinquerentur necesse erat; gymnesiis autem solis, qui prorsus sub alieno arbitrio vitam agebant neque suorum erant corporum domini, agros colendos permissos esse, vix est credibile.

Fabulae quoque quae de singulis Argolicae oppidis circumferebantur, huc trahi possunt. Antiquissimis enim temporibus in nonnullis Argolicae oppidis Heraclidae reges fuisse commemorantur a Pindaro [1]; qui quamquam mythico tempore reges fuerant, quo Heraclidae nondum cum Doriensibus conjuncti erant, tamen non negligendum est, mythos historico demum tempore saepe inventos esse, ut explicaretur praesens rerum status ejusque origo in antiquissima tempora referenda esse videretur. Quales mythi sint eorumque argumenta non simpliciter pro veris eventis habenda esse optime demonstrat Muellerus, ubi de coloniis Doriensium agit [2]: Nachdem ich über die Anlegung dieser dorischen Städte die einfachsten histori-

---

[1]) Ol. XI. 64: *σταδίου μὲν ἀρίστευσεν εὐθὺν τόνον ποσσὶ τρέχων παῖς ὁ Λικυμνίου Οἰωνός· ἷκεν δὲ Μιδέαθεν στρατὸν ἐλαύνων.* et v. 67: *Δόρυκλος δ' ἔφερε πυγμᾶς τέλος Τίρυνθα ναίων πόλιν.* Ol. VII. 77: *τόθι λύτρον συμφορᾶς οἰκτρᾶς γλυκὺ Τλαπολέμῳ ἵσταται Τιρυνθίων ἀρχαγέτᾳ.* Item dicitur Electryon Mideae rex fuisse a Pausania II. 22. 8 et 25. 9.

[2]) Dor. I. 108.

schen Nachrichten und faktischen Relationen zusammengestellt habe, ist noch übrig, die mythischen Erzählungen zu prüfen, die sich daran angesponnen haben, indem man dieselben Colonien nur durch andere Namen darstellte und in entferntere Zeiten zurückschob. Sententiam suam esse veram Muellerus comprobat exemplo coloniarum in Halicarnassum et Rhodum deductarum; simile exemplum Aeginae quoque est, quam Pindarus[1]) praedicat: *Δωριεῖ λαῷ ταμιευομέναν ἐξ Αἰακοῦ*, quasi Aegina inde ab Aeaco jam a Dorico populo gubernata esset. Quod vir doctissimus de coloniis dicit, quum non minus cadere putem in oppida a Doriensibus occupata, de quibus et ipsis multae fabulae circumferebantur, res judico vere factas vel conditiones stabiles historici temporis tanquam fundamentum fuisse, cui varia mythorum genera superstruerentur. Quare conjici licet, quum inter Dorienses, qui hanc vel illam Argolidis urbem incolebant, gentes fuerint, quae originem quo illustrior esset ab Hercule vel cognato aliquo Herculis derivare studerent, ab his postea inventas esse fabulas de Tlepolemo, qui Tirynthe regnasset, vel de Electryone et Oeono, qui Mideae reges fuissent. Deinde narratur Tirynthis arx[2]) *Λίκυμνα* appellata esse ex Licymnio, Herculis cognato, quae res documento esse potest, hac in urbe Dorienses habitasse. Argivi igitur tum, quum incolas ceterorum oppidorum Argos deduxerunt, nihil aliud fecerunt nisi quod multos ante annos Dorienses Laconica et Messenia potitos fecisse Strabo[3]) narrat.

Quae adhuc attuli argumenta jam satis magna praesidia esse puto opinionis meae: incolas oppidorum quae ab Argivis eversa sunt, non fuisse perioecos sed Dorienses optimo omnium Doriensium jure praeditos. Ab aliis argumentis, quae praeterea afferri possunt, quum fieri non possit, quin infra repetantur, nunc quidem abstineo.

Hoc igitur posito: Argolicae singulas urbes non esse habitatas a perioecis, duae alterae quaestiones nunc movendae sunt: utrum illi Dorienses suam civitatem separatam ab Argivorum civitate habuerint an Argorum urbis civibus adscripti eadem

---

[1]) Ol. VIII. 30.

[2]) VIII. 373: *ἡ δὲ ἀκρόπολις Λίκυμνα ἐπώνυμος Λικυμνίου* cf. XIV. 653 et Paus. II. 22. 8. III. 15. 4.

[3]) VIII. 361. 364.

atque illi civitate fruiti sint. Atque primum quidem revertamur ad Pausaniae locum [1]), qui supra jam afferendus videbatur, ubi de perioecis mota quaestio est, quique nescio an nunc etiam nos ad verum deferat. Agitur enim illo loco de Arcadibus, qui fractis apud Leuctra Lacedaemoniorum opibus Megalopolim condiderunt, ut haberent communis consilii sedem simulque praesidium contra Lacedaemonios; itaque ex plurimis totius Arcadiae oppidis et vicis et pagis homines in hanc urbem arcessiverunt. Haec igitur Arcadum congregatio comparatur cum ea quam Argivi sibi attulerunt accessione incolis ceterorum oppidorum Argos translatis. Quare similitudinem quandam intercessisse putandum est inter ambarum terrarum incolas in unum congregatos. Atque Arcadum quidem populos, qui in unam urbem deducebantur, scimus in diversas civitates antea divisas fuisse neque unius reipublicae fuisse cives. Quodsi ex hac Pausaniae comparatione conjecturam facere licet, ego quidem putaverim, Argolicarum quoque urbium conditionem fuisse similem, atque quum in unam urbem Argos incolae ceterorum oppidorum jungerentur, plures civitates in unam conflatas esse *συνοικισμῷ*.

Jam videamus num haec conjectura certis argumentis possit confirmari. Jam antea dixi, nomen terrae *Ἄργολις* vel *Ἀργεία* duplici sensu usurpatum esse; sed praeter illam distinctionem, ex qua veteres scriptores a tota terra partem tantum certam internoscebant, altera quoque afferenda est, ex qua rursus hac ex parte particulam tantum hoc nomine eximebant eamque urbem ipsam Argos et agrum ei proxime adjacentem, velut Strabo VIII. 371, ubi dicit: *ἡ δὲ Λέρνη λίμνη τῆς Ἀργείας ἐστὶ καὶ τῆς Μυκηναίας*, quo loco *Ἀργεία* et *Μυκηναία* quum utraque sit sita intra fines *Ἀργείας* ejus, quae est pars totius Argolidis, tamen tanquam diversae terrae inter se opponuntur. Inde colligi potest Argolicam ita constitutam esse, ut tota terra in certa territoria divideretur, quae attribuerentur singulis oppidis ita, ut singula oppida eorumque agri certis finibus circumscripti unum territorium efficerent; alia quoque territoria [2]), quae ab

---

[1]) VIII. 27. 1.

[2]) Herod. VI. 76: *μετὰ δὲ ταῦτα ἐξαναχωρήσας τὴν στρατιὴν κατήγαγε ἐς Θυρέην, σφαγιασάμενος δὲ τῇ θαλάσσῃ ταῦρον πλοίοισί σφεας ἤγαγε ἔς τε τὴν Τιρυνθίην χώρην καὶ Ναυπλίην.* Paus. II. 36. 4: *Τὸ δὲ ἐντεῦθέν ἐστιν Ἀργείων ἡ ποτε Ἀσιναία καλουμένη, καὶ Ἀσίνης ἐστὶν ἐρείπια ἐπὶ θαλάσσῃ.*

urbibus, quibus adjacebant, nomen ceperant, saepe commemorantur a scriptoribus veluti Tirynthia, Nauplia, Asinaea. Neque partes civitatis Argivae fuisse haec territoria, quorum incolae, quos ex parte Dorienses fuisse supra vidimus, licet in singulis territoriis domos et agros haberent ibique commorari solerent, tamen Argos commeantes comitiis populi interessent, de pace et bello suffragia ferrent, magistratus crearent vel ipsi etiam magistratibus fungerentur, sed fuisse civitates ab Argivorum civitate sejunctas, multis argumentis potest probari. Scriptores enim singula territoria ita persequuntur[1]), ut accurate dicant, quae Argivorum fuerint vel Mycenaeorum vel aliorum, id quod profecto fieri non potuit, si fuissent ejusdem civitatis incolae singulorum oppidorum.

Sed alius quoque Pausaniae locus, qui documento est, Argolicam divisam fuisse in diversas civitates, quarum capita erant singula oppida, silentio non est praetermittendus. Legitur ille locus V. 23. 1: *εἰσὶ δὲ καὶ ἐγγεγραμμέναι κατὰ τοῦ βάθρου τὰ δεξιὰ αἱ μετασχοῦσαι πόλεις τοῦ ἔργου, Λακεδαιμόνιοι μὲν πρῶτοι, μετὰ δὲ αὐτοὺς Ἀθηναῖοι, τρίτοι δὲ γεγραμμένοι καὶ τέταρτοι Κορίνθιοί τε καὶ Σικυώνιοι, πέμπτοι δὲ Αἰγινῆται, μετὰ δὲ Αἰγινήτας Μεγαρεῖς καὶ Ἐπιδαύριοι, Ἀρκάδων δὲ Τεγεᾶταί τε καὶ Ὀρχομένιοι, ἐπὶ δὲ αὐτοῖς, ὅσοι Φλιοῦντα καὶ Τροιζῆνα καὶ Ἑρμιόνα οἰκοῦσιν, ἐκ δὲ χώρας τῆς Ἀργείας Τιρύνθιοι, Πλαταιεῖς δὲ μόνοι Βοιωτῶν, καὶ Ἀργείων οἱ Μυκήνας ἔχοντες.* Pausanias igitur inscriptionem affert, qua eae, quae ad Plataeas contra Persas pugnaverant, civitates memoriae mandatae erant. Cujus pugnae participes quoque fuerunt ex Argolica Tirynthii et Argivorum ipsorum ii qui Mycenas tenebant.

Tirynthis igitur incolae suum nomen retinuerant, Mycenaei contra Argivi appellati sunt; sed nescio an hic locus corruptus sit. Quod enim incolae Mycenarum invitis Argivis contra Persas pugnaverunt[2]), inde colligi potest, Mycenaeos non fuisse Argivos sed cives propriae reipublicae. Deinde Strabo[3]) narrat,

---

[1]) Strabo VIII. 373: *Ἠιόνες δὲ κώμη τις ἦν, ἣν ἐρημώσαντες Μυκηναῖοι ναύσταθμον ἐποίησαν, ἀφανισθεῖσα δ' ὕστερον οὐδὲ ναύσταθμόν ἐστιν.* Paus. II. 38. 1: *Ἐκ Λέρνης δὲ ἰοῦσιν ἐς Τημένιον, τὸ δὲ Τημένιόν ἐστιν Ἀργείων* etc.

[2]) Paus. II. 16. 5.

[3]) VIII. 377: *μετὰ δὲ τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν Ἀργεῖοι μετὰ Κλεωναίων καὶ Τεγεατῶν ἐπελθόντες ἄρδην τὰς Μυκήνας ἀνεῖλον καὶ τὴν χώραν διενείμαντο.*

Argivos post dirutas demum Mycenas agros hujus urbis possedisse, unde Mycenaeos elucet non minus ac Tirynthios suae civitatis cives fuisse; itaque facere non possum quin hunc locum aliquo modo corruptum esse putem. Ego quidem pro *ἔχοντες* levissima mutatione scripserim *σχόντες* (*καὶ Ἀργείων οἱ Μυκήνας σχόντες*: Atque Argivorum qui Mycenas habuerant). Reputandum enim est diruta urbe Mycenaeorum alios interfectos esse, alios in diversas Graeciae civitates dispersos, partem denique in Argivorum civitatem esse receptam. Qui in alias civitates dispersi aufugerant, eorum memoria mox evanesceret necesse erat; qui vero in Argivorum civitatem recepti erant, quum eos consentaneum sit propriam curiam explevisse, soli quodammodo pristinae urbis memoriam sustinebant, neque mirandum est, quod in illa inscriptione, quam post dirutas jam Mycenas, sed ante eversam Tirynthem esse factam apparet, Mycenaei, quum tunc essent Argivi, ita significati sunt, ut inscriberentur: *καὶ Ἀργείων οἱ Μυκήνας σχόντες.*

Asinen quoque aeque ac Mycenas et Tirynthem olim separatam ab Argivorum civitate fuisse testatur Pausanias [1]); nam Asinaei etiam ante deletam urbem suum agrum habebant ab Argivorum agro secretum, quem urbe diruta demum Argivi suo adjecerunt; quare quum Asinaei suum agrum haberent, suam quoque civitatem eos habuisse colligendum est.

Item Nauplienses olim propriam civitatem habuisse, inde colligi potest, quod eos participes fuisse videmus amphictyoniae Calauriensis [2]), in qua Argivi postea Naupliae deletae locum obtinebant.

Orneatas bellum propriis viribus gessisse legimus [3]) cum Sycyoniis, quae res documento est, et ipsos habuisse suam rempublicam.

Sed alia quoque argumenta accedunt, e quibus eluceat urbes,

---

[1]) Paus. II. 36. 5: *ἁλισκομένου δὲ τοῦ τείχους οὗτοι μὲν* (*οἱ Ἀσιναῖοι*) *γυναῖκας ἐς τὰ πλοῖα ἐνθέμενοι καὶ παῖδας ἐκλείπουσι τὴν αὑτῶν, Ἀργεῖοι δὲ ἐς ἔδαφος καταβαλόντες τὴν Ἀσίνην καὶ τὴν γῆν προσορισάμενοι τῇ σφετέρᾳ* etc.

[2]) Strabo VIII. 374: *ἦν δὲ καὶ Ἀμφικτυονία τις περὶ τὸ ἱερὸν τοῦτο ἑπτὰ πόλεων αἳ μετεῖχον τῆς θυσίας· ἦσαν δὲ Ἑρμιὼν Ἐπίδαυρος Αἴγινα Ἀθῆναι Πρασιεῖς Ναυπλιεῖς Ὀρχομενὸς ὁ Μινύειος· ὑπὲρ μὲν οὖν Ναυπλιέων Ἀργεῖοι συνετέλουν, ὑπὲρ Πρασιέων δὲ Λακεδαιμόνιοι.*

[3]) Paus. X. 18. 5: *Ὀρνεᾶται δὲ οἱ ἐν τῇ Ἀργολίδι, πολέμῳ σφᾶς Σικυωνίων πιεζόντων τῷ Ἀπόλλωνι εὔξαντο,* etc.

de quibus adhuc egi, et a Doriensibus incultas et ab Argivorum civitate segregatas fuisse. Nam si videmus earum incolas a scriptoribus[1]) socios Argivorum esse appellatos, si eos videmus quum Argos deducerentur non nisi vi adhibita sedes suas deseruisse, si videmus nonnullos eorum invitis Argivis contra Persas pugnavisse atque ceteroquin etiam Argivis nonnunquam obsequium non praestitisse[2]), profecto haec sunt satis magna testimonia, e quibus intelligatur fuisse eos cives suae reipublicae. Non potest enim societas esse nisi inter duas civitates diversas, quae separatim decreverint certis conditionibus societatem inire. Deinde si incolae ceterorum oppidorum Argivi cives jam fuissent, Pausanias[3]) dicere non potuit, Argivos propterea ceteras urbes evertisse ut *συνοίκους* reciperent et ita civium numerum augerent; etenim si nihil aliud fecissent nisi ut civium multitudinem per singulas urbes dispersam in unam cogerent, minime auxissent civium numerum. Neque iterum Argolicorum oppidorum incolae ita Argos adsciti sunt, ut tanquam homines inferioris gradus beneficio quodam dominorum in civitatem reciperentur; nam si perioeci fuissent, non recusaturos fuisse eos putare debemus ne Argos transmigrarent, quum pretium hujus translationis esset civitas; sed quum jam antea essent cives propriae reipublicae, si nulla vi coacti sedes suas mutavissent, nihil magis esset contra naturam generis humani. Accedit quod perioeci, homines inferioris ordinis, quando pertaesi sortis suae novis rebus student, id primum laborare solent, ut conditionem suam meliorem reddant et se a dominorum potestate liberent, non autem id curare, quod multo minus ad eos pertinet, ut conjuncti cum ceteris Graecorum civitatibus Graeciam ipsam contra barbarorum impetus defendant; at contra id decet facere cives suae civitatis famam et existimationem custodientes. Quod denique scriptores narrant incolas horum oppidorum nonnunquam Argivis non

---

[1]) Thucyd. V. 47, 67, 77. Diodor. Sic. XI. 65.

[2]) Strabo VIII. 373: *ἠρήμωσαν δὲ τὰς πλείστας οἱ Ἀργεῖοι ἀπειθούσας.* Diodor. Sic. XI. 65: *Μυκηναῖοι διὰ τὸ παλαιὸν ἀξίωμα τῆς ἰδίας πατρίδος οὐχ ὑπήκουον τοῖς Ἀργείοις ὥσπερ αἱ λοιπαὶ πόλεις αἱ κατὰ τὴν Ἀργείαν, ἀλλὰ κατ' ἰδίαν ταττόμενοι τοῖς Ἀργείοις οὐ προσεῖχον.*

[3]) II. 25. 6: *Ἀργεῖοι δὲ ὕστερον τούτων Ὀρνεάτας ἀνέστησαν· ἀναστάντες δὲ σύνοικοι γεγόνασιν Ἀργείοις.* et 8: *ἀνέστησαν δὲ καὶ Τιρυνθίους Ἀργεῖοι, συνοίκους προσλαβεῖν καὶ τὸ Ἄργος ἐπαυξῆσαι θελήσαντες.*

obedientes fuisse, inde colligi licet, socios eos Argivorum fuisse, qui foederis conditiones, quae iniquae viderentur, aegre ferentes ab Argivis desciscerent; id fieri non potuit, si fuissent ejusdem civitatis pariter participes, aut certe hac una re inferiores, quod magistratibus fungi non licebat.

Quodsi omnia, quae adhuc disputata sunt, in unum comprehenduntur, id profecisse mihi videor, ut Argolicae singula oppida non a perioecis habitata esse sed a Doriensibus eluceat, et habitata esse ita, ut essent separatae civitates. Deinde iis quos attuli locis satis comprobatum est, societate aliqua omnes has civitates fuisse copulatas; sed dolendum est, quod propter veterum monumentorum defectum fere nihil aliud de hac societate scimus nisi eam omnino exstitisse. Quoniam autem in rebus natura sua dubiis licet opinari, talem quandam de hujus societatis origine et conditione informo cogitationem, quae ex similitudine aliarum civitatum Graecarum maximam habeat commendationem.

Omnino enim vehementer credibile est, Dorienses Argolicam ingressos pariter terram constituisse atque Dorienses Messenia et Laconica potitos descripsisse eam memoriae proditum est. Laconicam et Messeniam narrat Ephorus[1]) ita constitutas esse, ut tota terra in certas regiones divideretur, quae singulis oppidis attribuerentur; in singula oppida, per quae etiam Dorienses dispergerentur, regulos esse missos et unam urbem ceteris praepositam, in quam tanquam in regiam intuerentur; postea vero revocatos esse Dorienses omnes in hanc unam urbem. Eadem

[1]) apud Strabonem VIII. 364: *Φησὶ δ' Ἔφορος τοὺς κατασχόντας τὴν Λακωνικὴν Ἡρακλείδας Εὐρυσθένη τε καὶ Προκλῆ διελεῖν εἰς ἓξ μέρη καὶ πολίσαι τὴν χώραν· μίαν μὲν οὖν τῶν μερίδων, τὰς Ἀμύκλας, ἐξαίρετον δοῦναι τῷ προδόντι αὐτοῖς τὴν Λακωνικὴν καὶ πείσαντι τὸν κατέχοντα αὐτὴν ἀπελθεῖν ὑπόσπονδον μετα τῶν Ἀχαιῶν εἰς τὴν Ἰωνίαν· τὴν δὲ Σπάρτην βασίλειον ἀποφῆναι σφίσιν αὐτοῖς· εἰς δὲ τὰς ἄλλας πέμψαι βασιλέας, ἐπιτρέψαντας δέχεσθαι συνοίκους τοὺς βουλομένους τῶν ξένων διὰ τὴν λειπανδρίαν*; et paulo infra: *ὑπακούοντας δ' ἅπαντας τοὺς περιοίκους Σπαρτιατῶν ὅμως ἰσονόμους εἶναι, μετέχοντας καὶ πολιτείας καὶ ἀρχείων. Ἆγιν δὲ τὸν Εὐρυσθένους ἀφελέσθαι τὴν ἰσοτιμίαν καὶ συντελεῖν προστάξαι τῇ Σπάρτῃ.* De Messenia similia refert idem ap. Strab. VIII. 361. *Ἔφορος δὲ τὸν Κρεσφόντην, ἐπειδὴ εἷλε Μεσσήνην, διελεῖν φησιν εἰς πέντε πόλεις αὐτήν, ὥςτε Σενύκλαρον μὲν ἐν τῷ μέσῳ τῆς χώρας ταύτης κειμένην ἀποδεῖξαι βασίλειον αὐτῷ, εἰς δὲ τὰς ἄλλας βασιλέας πέμφαι, Πύλον καὶ Ῥίον καὶ Μεσόλαν καὶ Ὑαμεῖτιν, ποιήσαντα ἰσονόμους πάντας τοῖς Δωριεῦσι τοὺς Μεσσηνίους. ἀγανακτούντων δὲ τῶν Δωριέων μεταγνόντα μόνον τὸν Στενύκλαρον νομίσαι πόλιν, εἰς τοῦτον δὲ καὶ Δωριέας συναγαγεῖν πάντας.*

haec cadere in Argolicam quoque credibile est, nisi quod Argivi multo longiore temporis spatio interjecto Dorienses in unam urbem Argos revocaverint. Quare Argolicam quoque in certa territoria a Temeno divisam esse puto et singulis territoriis praepositos esse regulos, Argos autem, ipsius Temeni sedem, fuisse caput universae terrae. Quodsi vera haec opinio est, quae optime quoque cum iis congruit, quae de fabulis singularum urbium supra jam exposui, conditio Argolicae tunc maxime accedebat ad illum statum, quem fuisse scimus Achaico tempore, quo in una terra complures *βασιλεῖς* memorantur, unus vero *βασιλεύτατος*[1]). Atque eo probabilior haec opinio videtur, quo aptior Argolicae terrae conditio erat ad vetera Achaeorum instituta servanda, quum nulla alia terra in tam exiguo spatio tot et tam firmis urbium munitarum praesidiis obsita esset. Quare non tam inimica et violenta ratione quam benevola pactione a Doriensibus Argolica occupata esse videtur ita, ut veteres incolae advenas in urbes reciperent hac conditione, ut ipsi in civitatis communionem admitterentur[2]) hac una re inferiores, quod magistratus et honores capessere non licebat. Profecto si vi adhibita Dorienses urbes has expugnavissent, non tanta cum moderatione in victos consulturos fuisse eos putare debemus; quum vero vi non adhibita recepti essent, maxime consentaneum est, omnia Achaeorum instituta permansisse, nisi quod in singulis urbibus Dorienses obtinerent eum quem antea nobiles Achaeorum gentes habuerant locum. Accedit, quod vim Dorienses in urbibus expugnandis adhibuisse non nisi de Argis ipsis traditum est[3]). Quare puto Achaeos,

---

[1]) Hom. Il. ϑ. 69.

[2]) Cujus rei testis Isocrates est Panath. 177: *τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους συνοίκους ἔχειν ἐν τῇ πόλει τοὺς στασιάσαντας καὶ κοινωνοὺς ἁπάντων πλὴν τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν τιμῶν.* — Eodem fere modo haec oppida a Doriensibus occupata esse verisimile est, quo Phliuntem, Sicyonem, alias urbes in potestatem Doricam esse redactas Pausanias narrat II. 13. 1: *Ῥηγνίδας ἐπ' αὐτὴν (Φλιοῦντα) ὁ Φάλκου τοῦ Τημένου Δωριεὺς ἔκ τε Ἄργους στρατεύει καὶ ἐκ τῆς Σικυωνίας. τῶν δὲ Φλιασίων τοῖς μὲν ἃ προεκαλεῖτο Ῥηγνίδας ἐφαίνετο ἀρεστά, μένοντας ἐπὶ τοῖς αὐτῶν βασιλέα Ῥηγνίδαν καὶ τοὺς σὺν ἐκείνῳ Δωριεῖς ἐπὶ ἀναδασμῷ γῆς δέχεσθαι* II. 26. 1: *τοῦτον (Πιτυρέα) παραδοῦναι λέγουσιν ἀμαχεὶ τὴν γῆν (τῶν Ἐπιδαυρίων) Δηϊφόντῃ καὶ Ἀργείοις.* II. 30. 10: *Ἡρακλειδῶν γὰρ κατελθόντων ᾽δέξαντο καὶ οἱ Τροιζήνιοι συνοίκους Δωριέων τῶν ἐξ Ἄργους καὶ πρότερον ἔτι Ἀργείων ὄντες κατήκοοι.* cf. de Sicyone II. 6. 7. et de Aegina II. 29. 5.

[3]) cf. quae de Hermione dicit Pausanias II. 34. 5: *ἐπῴκησαν δὲ καὶ Ἑρ-*

incolas oppidorum veteres, quum Argos jam expugnatos esse viderent, ut ipsi victoribus uterentur mitioribus, suas urbes sponte tradidisse. Quod autem Muellerus[1]) dicit Mycenas et Tirynthem post bella demum Persica a Doriensibus occupatas esse, id neque per se credibile est et aperte rejicitur Strabonis[2]) testimonio.

Sed quum regia potestas in Argolica abolita esset, quod inter singulas urbes ratio talis intercessit, qualem supra explicui, ex similitudine aliarum Graecarum civitatum optimam habet explicationem. Nam regnis eversis quum ubique nobiles gentes regum imperio potirentur regia potestas mutabatur[3]) in aristocraticam. Atque quum nobiles gentes in singulis urbibus, quae antea unius regni finibus cohibitae erant, omnes pari jure sibi imperium arrogarent, plerumque fiebat, ut singulae urbes jam suam quaeque rempublicam separatim habere inciperent, veluti Arcades videmus uni olim regi subjectos[4]) abolita regia potestate in multas civitates discessisse, itemque Phocensium, quos olim sub duorum regum imperio conjunctos fuisse Homerus[5]) narrat, duas et viginti civitates postea fuisse docemur a Demosthene,[6]) neque minus Aetolos olim sub uno rege conjunctos[7]) bello Peloponnesiaco in diversas civitates divisos et societate copulatos fuisse constat Thucydide auctore.[8]) Eodem modo in Argolica quoque regno sublato urbium singularum conditionem mutatam esse puto, ut quae urbes antea sub unius regis imperio conjunctae fuerant, tum in suarum quaeque nobilium

---

μιόνα ὕστερον Δωριεῖς οἱ ἐξ Ἄργους. πόλεμον δὲ οὐ δοκῶ γενέσθαι σφίσιν. ἐλέγετο γὰρ ἂν ὑπὸ Ἀργείων.

[1]) Dor. I. 85.

[2]) VIII. 372: *κατασχόντες γὰρ οὗτοι (Ἡρακλεῖδαι) τὴν Πελοπόννησον ἐξέβαλον τοὺς πρότερον κρατοῦντας ὥςθ' οἱ τὸ Ἄργος ἔχοντες εἶχον καὶ τὰς Μυκήνας συντελούσας εἰς ἕν* et VIII. 377: *αἱ δὲ Μυκῆναι μετέπεσον εἰς τοὺς Πελοπίδας ὁρμηθέντας ἐκ τῆς Πισάτιδος, εἶτ' εἰς τοὺς Ἡρακλείδας καὶ τὸ Ἄργος ἔχοντας.*

[3]) Polybius VI. 4: *τὸ μὲν τῆς βασιλείας καὶ μοναρχίας εἶδος ἄρδην ἀνῃρεῖτο, τὸ δὲ τῆς ἀριστοκρατίας αὖθις ἀρχὴν ἔλαβε καὶ γένεσιν.* et Aristot. Politic. IV. 10. 10: *καὶ ἡ πρώτη δὴ πολιτεία ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο μετὰ τὰς βασιλείας ἐκ τῶν πολεμούντων, ἡ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκ τῶν ἱππέων.*

[4]) Hom. Il. *β*. 603.

[5]) Il. *β*. 517.

[6]) de falsa legatione 123.

[7]) Hom. Il. *β*. 638.

[8]) III. 96.

gentium potestate tenerentur. Gentes autem, quae principem locum hereditario quodam jure obtinebant, erant in singulis oppidis Doricae, quas quamquam suas urbes suo arbitrio administrabant, tamen veteris conjunctionis memoriam retinentes societatem fecisse videmus. Atque id eo magis opus erat, quod tot urbes in tam parvo spatio, nisi habuissent, ubi controversias inter ipsas exortas legitime disceptare possent, vix diu salvae esse potuerunt. Itaque de multis rebus in commune consuluisse et inprimis belli pacisque consilia contra exteros communia iniisse liquet, atque Argos, quippe quae urbs ceteris major et potentior esset, caput fuisse aliorum oppidorum et plurimas res, ut Argivis placeret, ita gestas esse consentaneum est. Nam Mycenaei et Tirynthii quum invitis Argivis contra Persas pugnavissent, quasi injuria commissa poenas dare sunt coacti; unde colligi potest, ideo eos esse punitos, quod foederis conditiones laeserant, in quibus aut sancitum erat aut sancitum esse Argivi dicebant, ne neglecto communi decreto bellum socii suo arbitrio sumerent; quare Thucydides illas urbes *ζυμμάχους* dicere potuit, *ὧν ἦρξαν Ἀργεῖοι.* Itaque potestas, quam Argivi in socios suos exercebant, ea erat, quam Graeci *ἡγεμονίαν* vocabant.

Tres igitur diversae Argolicorum oppidorum conditiones tempore Dorico se exceperunt: a primo Doriensium migrationis tempore sub uno rege omnia oppida erant conjuncta; quae eversa regum potestate suam quodque rempublicam separatim habebant, donec *συνοικισμῷ* iterum in unum conjuncta sunt.

Sed redeundum iterum est ad Aristotelis locum,[1]) ubi dicit post cladem a Cleomene, Spartanorum rege, acceptam Argivos coactos esse nonnullos e perioecis in civitatem recipere, quos Tirynthe, Hysiis, Mycenis, Orneis, Mideae aliisque in oppidis minoribus habitasse viri docti colligunt ex illo Pausaniae loco.[2]) Quam opinionem prorsus falsam esse, ego satis demonstrasse mihi videor. Sed locus quoque Aristotelis optime explicari potest. Argivorum enim ipsorum urbs illa clade prorsus viris orbata est; quare Argivi ne cogitare quidem potuerunt, ut incolas aliorum oppidorum, quos non nisi vi adhibita sedes suas deseruisse videmus, Argos deducerent. Itaque Argivi putandi

---

[3]) Politic. V. 2. 8.
[2]) VIII. 27. 1.

sunt primum perioecos, qui habitabant in regione suae urbi adjacenti in civitatem recepisse cumque his conjuncti incolas ceterorum oppidorum Argos transmigrare coegisse. Attamen ita quoque non omnes urbes uno tempore subigere potuerunt; sed multo temporis spatio opus fuisse, id satis testimonii est, quod Orneas bello Peloponnesiaco adhuc liberas fuisse et Argivorum socias Thucydides[1]) narrat.

Sed de loco quodam, quem supra breviter tetigi, accuratius disputare supersedere non possum, quippe quod omnino operae pretium sit, eum a falsis quas excitavit opinionibus defendere.

Auctor hujus loci Herodotus[2]) est: *οἱ δὲ Κυνούριοι αὐτόχθονες ἐόντες δοκέουσι μοῦνοι εἶναι Ἴωνες, ἐκδεδωρίενται δὲ ὑπό τε Ἀργείων ἀρχόμενοι καὶ τοῦ χρόνου, ἐόντες Ὀρνεῆται καὶ περίοικοι.*

Ac prima quidem Muelleri sententia afferenda est, quippe quae plurimis probata sit. Viri doctissimi sententiam esse constat: post devictos Orneatas eorum nomen in ceteros quoque perioecos translatum esse. Quae quidem per se laudem eximiam non mereretur neque tot sectatores nacturam eam fuisse puto, nisi a viro profecta esset cum de universa antiquitate tum de Doriensibus optime merito. Nam et res ipsa et Herodoti verba manifeste repugnant tali sententiae. Muellerus ideo hoc loco Orneatas dicit intelligi non posse Ornearum urbis incolas, quod haec urbs in Cynuria sita non sit; quare omnes perioecos ab hac urbe nomen accepisse conjicit pariter atque Helotes Spartanorum servos ab oppido Laconicae, cui Ἕλος nomen fuerit, appellatos tradunt. Haec autem sunt Muelleri[3]) verba: Es ist wahrscheinlich, dass um dieselbe Zeit, um Ol. 50, Orneae, zwischen Argos und Sicyon, welches früher mit der letzteren Stadt Kriege geführt hatte, der ersteren unterthan wurde, wovon die Argivischen Periöken den allgemeinen Namen „Orneaten“ erhielten, zu deren Klasse auch die Kynurier vor der Schlacht von Thyrea gehörten. Non praetermittendum est, argumentum, quo nititur haec conjectura, ipsum nihil esse nisi conjecturam; nullus enim scriptor narrat ante Ol. 50 Orneas ab Argivis esse expugnatas; at contra Thucydide teste scimus hanc urbem Peloponnesiaco demum bello Argivos esse demolitos. Sed hoc etiam concesso Muellerus non juvatur.

[1]) V. 67. — eodem bello Orneas dirutas esse idem narrat VI. 7.
[2]) VIII. 73.
[3]) Dor. I. 160.

Ipse enim dicit[1]), Ol. 58 Cynuriam Argivis esse demptam; sed inter Olympiades 50 et 58 spatium tantum intercedit triginta duorum fere annorum, quod tempus profecto brevius est quam de quo Herodotus dicere potuerit: *ἐκδεδωρίευνται δὲ ὑπό τε Ἀργείων ἀρχόμενοι καὶ τοῦ χρόνου, ἐόντες Ὀρνεῆται καὶ περίοικοι.* Quod Muellerus ipse intellexisse videtur, quum eodem loco dicat: Olymp. 15 begann der Krieg um das Kynurische Grenzland auf's neue; die Argeier behaupteten es jetzt lange Zeit; sonst könnte Herodot nicht von den Kynuriern sagen: *ἐκδεδωρίευνται ὑπό τε Ἀργείων* etc. Itaque inde ab Ol. 15 usque ad Ol. 58, quod est spatium centum septuaginta duorum annorum, Cynurii sub ditione Argivorum tenebantur et Doriensium mores acceperunt; quum vero ex Muelleri sententia Orneae Ol. 50 demum expugnatae essent, hujus temporis non amplius triginta duos annos Orneatae appellari potuerunt. Quum igitur illud spatium triginta annorum, per quos Cynurii Orneatae appellati sunt, si comparamus cum toto temporis spatio, per quod ii omnino in Argivorum potestate tenebantur, brevissimum sit, Herodotum non putandum est prorsus neglecto tanto temporis spatio, quo Cynurii nondum Orneatae erant, breve illud quo Orneatae appellabantur tempus tanquam causam attulisse cur Doriensium similes redderentur. Deinde quod Muellerus quo dixi loco dicit: zu deren Klasse (scilicet Orneatarum) auch die Kynurier vor der Schlacht von Thyrea gehörten, vir doctissimus statuat necesse est Herodotum non agere de praesenti rerum statu, sed narrare, a quibus gentibus Peloponnesus priscis temporibus habitata sit. Nam tum quum Herodotus historiam scripsit, Cynuria quum pugna Thyreatica Argivis esset erepta, jam ex longo tempore erat sub Spartanorum potestate. Quod quum ita sit, ex Muelleri sententia Herodoti locus vertendus est ita: Cynurii facti sunt Dorienses sub imperio Argivorum et tempore, quum essent Orneatae et perioeci. Sed Herodotum de praesenti rerum statu agere profecto negari non potest; cujus rei hoc certissimum testimonium est, quod eodem loco, ubi de Dryopibus quoque loquitur, non dicit, ubi prisco tempore sedes habuerint; dicit enim de hac gente: *Δρυόπων δέ Ἑρμιόνη τε καὶ Ἀσίνη ἡ πρὸς Καρδαμύλῃ τῇ Λακωνικῇ.* Prisco autem tempore Dryopes non habitaverunt

[1]) Dor. 1. 158.

cam quae erat in Laconica sita Asinen, sed Asinen in Argolica sitam. Quae quum ita sint, Herodoti locus vertendus est: Cynurii facti sunt Dorienses sub imperio Argivorum et longo tempore, quum sint Orneatae et perioeci.

Accedit ea quoque offensio, quod Muelleri conjectura hoc uno loco nititur; neque enim ullus alius scriptor memoriae prodidit, nomen Orneatarum ita usurpatum esse, ut significaret omnes perioecos Argivos. Itaque ut a nonnullis jam missa est, ita ego quoque meis nisus argumentis Muelleri mittendam esse censeo opinionem, quae neque Herodoti ipsis verbis neque historia confirmatur.

Duas alias explicandi hunc Herodoti locum rationes viri docti ingressi sunt; alteri dicunt Cynurenses, Jonicae stirpis homines, cum Orneatis qui immigraverint mixtos non solum morum verum etiam nominis permutationem passos esse; alteri conjiciunt Cynurensium partem, quum Lacedaemonii terram occupavissent, confugisse Orneas. Huic sententiae obstat et quod Herodotus de omnibus Cynurensibus loquitur, non de parte tantum et quod Orneae Herodoti tempore nondum expugnatae erant; denique quod Herodotus Cynurenses indigenas appellat, colligi potest, eos sedes suas nunquam mutavisse; nam quominus Herodotum ideo indigenas eos appellavisse statuamus, quod ex Peloponneso non exivissent, eo prohibemur, quod de Achaeis, quos ob eandem causam eum indigenas appellare par erat, non dicit eadem[1]). Sed ii quoque, qui priorem sententiam amplectuntur, parum probabile proferunt, quum vix credibile sit, Cynurenses, qui in sua terra Orneatas exceperint, ab his nomen accepisse.

Quidnam tandem de Herodoti loco rectius statuendum est? Si praejudicatis opinionibus non occupati Herodoti verba qualia per se sint examinamus, quoniam de praesenti rerum statu agi scimus, sensum intelligere debemus fere hunc: Cynurii, qui nunc sunt Orneatae et perioeci, Doriensibus similes facti sunt sub imperio Argivorum et longo tempore. De terra igitur Thyreatide, quae tunc jam dudum erat sub Spartanorum potestate, Herodotus agere non potest. Deinde quod Cynurios, de

---

[1]) VIII. 73: *Οἰκέει δὲ τὴν Πελοπόννησον ἔθνεα ἑπτά. τούτων δὲ τὰ μὲν δύο αὐτόχθονα ἐόντα κατὰ χώρην ἵδρυται νῦν τῇ καὶ τὸ πάλαι οἴκεον, Ἀρκάδες τε καὶ Κυνούριοι. ἓν δὲ ἔθνος τὸ Ἀχαϊκὸν ἐκ μὲν Πελοποννήσου οὐκ ἐξεχώρησε, ἐκ μέντοι τῆς ἑωυτῶν, οἰκέει δὲ τὴν ἀλλοτρίην.*

quibus agit, indigenas appellat, necesse est statuamus, Cynurios illos semper Orneatas fuisse. Sed quum sciamus, Thyream quoque urbem olim a Cynuriis habitatam esse, eo adducimur, ut Cynuriae terrae, in qua Thyrea sita erat, fines longius patuisse putemus quam vulgo creditur, et praeter illam ejus partem, in qua Thyrea urbs sita erat quaeque in Spartanorum potestatem redacta est, alteram Argivis remansisse, in qua Orneae erant sitae. Atque haec opinio confirmatur, quod Argivos et Lacedaemonios de Cynuria certavisse nullus rerum scriptor narrat, sed tantum memoriae proditum est, tot pugnas commissas esse *περὶ τῆς Θυρεάτιδος* vel *περὶ τῆς Κυνοσουρίας γῆς*. Itaque scriptores terram, de qua pugnatum est, aut *Θυρεᾶτιν* appellant ex urbe, quae in ea sita erat, aut adjectivo addito dicunt Cynuriacam vel Cynosuriam. Si de Thyreatide agunt, de qua Thucydides[1]) dicit: *ἥ ἐστι μὲν τῆς Κυνοσουρίας γῆς καλουμένης*, de tota Cynuria cogitare non opus est; itemque si de terra Cynuriaca certatum esse narrant, profecto non statim sequitur, ut tota Cynuria intelligenda sit, quoniam si quis quamlibet terrae alicujus partem in universum significare vult, id ita facere potest, ut nomen totius terrae adjectiva forma adjiciat. Terram autem de qua agitur in universum tantum plerumque significatam esse, eo minus est quod miremur, quo magis propter tot atroces pugnas clara erat.

Hoc igitur ex Herodoti verbis patet, quum Orneae urbs aeque ac Thyrea Cynuriorum fuerit sedes, utramque urbem in Cynuria sitam fuisse, et quum ea Cynuriae pars, in qua erat sita Thyrea urbs, Argivis demta esset, alteram illam, in qua Orneae sitae erant, iis esse servatam. Sed in magnam nunc incidimus difficultatem, quod Herodotus, si Cynurios, Ornearum incolas, Argivorum perioecos fuisse narrat, minime consentit cum Thucydide et Pausania. Ille enim dicit, bello Peloponnesiaco Orneas fuisse sedem civium propriae reipublicae participum, id est talium hominum, qui socii Argivorum, non perioeci essent, ac postea demum ab Argivis esse dirutas, et ita quidem Pausania teste dirutas esse scimus, non ut cives in perioecorum conditionem detruderentur, sed ut cives fierent Argivae civitatis. Nullum mihi in tanta difficultate aliud perfugium superesse videtur, nisi ut duas urbes fuisse opinemur,

[1]) IV. 56.

quibus Ornearum nomen esset, et Orneas a perioecis habitatas accurate distinguendas esse ab iis quas sociatas Argivis fuisse Thucydides narrat Orneis. Quae opinio quin vera sit, ne dubitare quidem licet, quum accedat Strabonis testimonium. Ille enim urbes Argolicas accurate eo ordine persequitur, quo Homerus in catalogo eas enumerat, ac primo quidem loco loquitur de urbibus, quae sub rege Argivo conjunctae erant, deinde de iis quae subjectae regi Mycenarum erant urbibus. Postquam omnes urbes prioris generis descripsit, adjicit nonnullas quoque, quas Homerus non habet[1]); in illarum numero Orneae quoque sunt. Quod autem Homerus in numero urbium, quae sub Mycenaeorum rege erant, Orneas quoque ponit[2]), necesse est, quas Strabo primo loco affert Orneas, alteram urbem ejusdem nominis fuisse; ubi Strabo de alterius generis urbibus loquitur, eam urbem Orneas, quam Homerus dicit, et ipse affert et quum dicat[3]): *Ὀρνεαὶ δ' εἰσὶν ἐπώνυμοι τῷ παραρρέοντι ποταμῷ, νῦν μὲν ἔρημοι πρότερον δ' οἰκούμεναι καλῶς* et paulo infra: *κεῖνται δ' ὑπὲρ τοῦ πεδίου τοῦ Σικυωνίων, τὴν δὲ χώραν ἔσχον Ἀργεῖοι* non dubito quin easdem intelligat de quibus Pausanias dicit[4]): *Ὀρνεὰς δέ, ἔτι γὰρ ᾤκοῦντο, ὥσπερ τῷ τόπῳ τῆς Ἀργείας ἔκειντο, οὕτω καὶ ἐν τοῖς ἔπεσι προτέρας ἢ Φλιοῦντά τε καὶ Σικυῶνα κατέλεξεν* et paulo infra: *Ἀργεῖοι δὲ ὕστερον τούτων Ὀρνεάτας ἀνέστησαν· ἀναστάντες δὲ σύνοικοι γεγόνασιν Ἀργείοις* et denique: *τὰ δὲ ἐπέκεινα Ὀρνεῶν ἥτε Σικυωνία καὶ ἡ Φλιασία ἐστίν.* Quare quas priore loco Strabo affert Orneas eas fuisse colligi potest, in quibus Cynurios habitavisse Herodotus narrat.

---

[1]) Strabo VIII. 376: *εἰσὶ δὲ καὶ Ὑσίαι τόπος γνώριμος τῆς Ἀργολικῆς καὶ Κεγχρεαί, αἳ κεῖνται ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ ἐκ Τεγέας εἰς Ἄργος διὰ τοῦ Παρθενίου ὄρους. Ὅμηρος δ' αὐτὰς οὐκ οἶδεν οὐδὲ τὸ Λύρκειον, οὐδ' Ὀρνεάς· κῶμαι δ' εἰσὶ τῆς Ἀργείας, ἡ μὲν ὁμώνυμος τῷ ὄρει τῷ (Λυρκείῳ), αἱ δὲ ταῖς Ὀρνεαῖς ταῖς μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος ἱδρυμέναις.* Quem locum Kramer et Meineke nullo certo argumento nisi interpolatori deberi contendunt; mea explicatione accepta spero fore, ut omni suspicione liberatus videatur. Hic enim Strabonis locus et Herodoti locus VIII. 73 per se nullum sensum praebent, propter eaque ille suspicionem virorum doctorum movet, hic false explicatur; sin vero comparantur inter se, alter ab altero lucem suam accipit.

[2]) Il. β. 569: *Οἳ δὲ Μυκήνας εἶχον, ἐϋκτίμενον πτολίεδρον,*
ἀφνειόν τε Κόρινθον ἐϋκτιμένας τε Κλεωνάς,
Ὀρνειάς τ' ἐνέμοντο Ἀραιθυρέην τ' ἐρατεινήν etc.

[3]) VIII 382.

[4]) II. 25. 5.

Jam reliquum est, ut ubinam Orneae, Cynuriorum sedes, sitae fuerint quaeramus. Quas urbes Homerus in catalogo sub Argivis regibus fuisse dicit, eae sunt Argi, Tiryns, Hermione, Asine, Troezen, Eiones, Epidaurus, Aegina, Mases. Quarum situm si comparamus cum situ Mycenarum, Corinthi, Cleonarum, Ornearum, Araethyreae, Sicyonis ceterarumque urbium, quas Homerus sub Mycenaeo regno conjunctas fuisse narrat, prioris generis urbes sitas fuisse videmus in meridiana Argolidis parte, alterius generis contra in septentrionali. Quare eas quoque, quas Strabo dicit Homerum non novisse urbes, quum prioris generis urbibus adjiciat, in meridiana parte sitas fuisse putandum est. In iis enumerandis quum Strabo hunc ordinem sequatur, ut primam commemoret Thyream, deinde Hysias, tum Cenchreas, denique Lyrceum et Orneas, eum a meridie incipientem septentrionem versus procedere liquet. Itaque apparet Orneas, quippe quas Strabo ultimo loco dicat, maxime septentrionem versus sitas fuisse neque longe remotas ab altera illa urbe, quam Homerus affert. Sed re vera Cynuriam tam longe ad septentrionem porrectam fuisse idem Strabo testatur, qui dicit[1]: *ῥεῖ δ' αὐτῆς (Λαρίσης) πλησίον ὁ Ἴναχος χαραδρώδης ποταμὸς τὰς πηγὰς ἔχων ἐκ Λυρκείου τοῦ κατὰ τὴν Κυνουρίαν ὄρους τῆς Ἀρκαδίας.* Addendum est praeterea, quod Stephanus Byzantius urbem „*τὰ Κύνουρα*“ in Argolide sitam fuisse refert. Quare omnes has urbes: Thyream, Hysias, Cenchreas, Lyrceum, Orneas, quas ab Homero non commemoratas Strabo enumerat, in Cynuria sitas fuisse puto, neque mirum videri debet, quod Homerus, quum ceteras urbes noverit, earum prorsus nullam afferat; immo vero id ipsum meae sententiae vehementer favere putaverim. Nam quum Herodotus Cynurenses, homines Jonicae stirpis, indigenas dicat, consentaneum est, eos Achaico jam tempore easdem sedes obtinuisse et jam tunc fuisse homines inferioris alicujus ordinis. Quare non urbes moenibus cinctas eos habuisse verisimile est, sed potius *κωμηδὸν* terram habitavisse, quem Jonibus inprimis per longum tempus morem fuisse scimus; itaque eorum sedes non tam *πόλεις* vel *ἄστη* quam *κῶμαι* recte appellari possunt, neque mirum est, quod Homerus quum tantum *πόλεις* enumeraverit, *κώμας* silentio praeterivit, praesertim quum habitarentur a gente non libera. Dorienses postea in Peloponne-

---

[1]) VIII. 370.

sum transgressi in sedibus suis manere passi esse videntur Cynurios ita ut perioeci essent, id quod eo verisimilius est, quoniam ab hominibus, qui non habebant urbes muris munitas, ipsis nihil timendum erat. Accedit, quod nullum Cynuriorum oppidum Dorico etiam tempore muris firmatum fuisse proditum est nisi Hysias[1]), qua de urbe Pausanias errare videtur, si collocat[2]) cum iis, quae olim Argivorum sociae erant urbibus; nam ea urbs non erat in societate sed in ditione Argivorum et ab Argivis demum praesidio firmata est, ut esset propugnaculum contra Lacedaemonios. Ceterum quod Herodotus Cynurenses uno nomine Orneatarum complectitur, colligi potest Orneas fuisse vicum omnium maximum. Neque mirari debemus, quod Herodotus illius Cynuriae partis, quam Lacedaemonii Argivis eripuerant, mentionem nullam facit; nam quum de Cynurensibus, ubi habitent suo tempore, agat, Thyreatidem terram afferre non potest, quae tunc prorsus orbata fuisse videtur veteribus incolis[3]), quos ad cognatos suos in alteram terrae partem confugisse verisimile est; postea enim Aeginetis ab Atheniensibus ex insula sua pulsis Thyream datam esse Thucydides narrat[4]). Ut ego nulla audaci ratiocinandi ratione adhibita exposui, ita rem re vera se habere mihi persuasum est, atque eo magis meam sententiam esse veram confido, quod hac una ratione Herodoti locus simplicem habet explicationem et apud Strabonem librorum lectio servatur, quam a nonnullis immerito in suspicionem vocatam esse video.

CAPUT ALTERUM.

Jam ad alteram totius commentationis progrediamur partem, in qua, quae ratio intercesserit inter Argivorum civitatem et inter ceteras, quae non intra arctiorem illam Argolidis partem sitae erant civitates, agendum erit. Quae civitates erant Sicyon, Phlius, Cleonae, Epidaurus, Troezen, Hermione, Aegina insula. Aliquod societatis genus intercessisse inter omnes Argolidis

---

[1]) Thucyd. V. 83: *καὶ Ὑσιὰς χωρίον τῆς Ἀργείας λαβόντες οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ τοὺς ἐλευθέρους ἅπαντας οὓς ἔλαβον ἀποκτείναντες ἀνεχώρησαν καὶ διελύθησαν κατὰ πόλεις.* cf. Diodor. Sicul. XII. 81.

[2]) VIII. 27 1.

[3]) Paus. III. 2. 2.

[4]) Thucyd. IV. 56.

civitates vix est qui inftiari possit, quippe quod doceat nominis ipsius communio, quo tota terra Argolis appellabatur. Cujus rei causa non inde petenda est, quod Dorienses Argolidem ingressi pariter totam terram occupaverint, ac Dorienses, qui Laconicam et Messeniam sibi subjecerunt. In Laconica enim aeque atque in Messenia Dorienses totam terram sub unius regis imperium redegerunt, quo duce Peloponnesum ingressi erant, ita ut utraque terra unum regnum efficeret. Prorsus alio modo Argolis occupata est, quae tot montium jugis usque quaque porrectis in multas dirimitur valles, quae aptae erant condendis totidem civitatibus. Itaque Temenus ipse minorem tantum terrae partem occupavit ibique rex erat; ceterae Argolidis partes, quamquam ab heroibus, qui fuerant in Temeni exercitu, subjectae sunt, tamen non ita subjectae sunt, ut tanquam ad augendum Temeni imperium occuparentur, sed potius singuli Heraclidarum heroes sibi ipsis prospexisse videntur et suum sibi quisque peperisse regnum prorsus separatum a Temeni imperio, id quod Pausanias diserte testatur[1]) de Sicyone et Phliunte. Deinde has civitates aeque ac ceteras inde a primis statim post Doriensium migrationem temporibus unquam cum Argivorum regno conjunctas fuisse ne tenuissimo quidem vestigio adducimur ut putemus. Nam postquam, quae Achaeorum fuerant, a Doriensibus omnia occupata sunt, eae suos reges ex Heraclidis habebant, qui pro se quisque suisque copiis instructi fines Dorici imperii propagaverunt, veluti Corinthum Aletes occupavit, Sicyonem Phalces, Epidaurum Deiphontes, Troezenem Agaeus, qui omnes a Strabone *οἰκισταί* harum urbium dicuntur. Omnes hae civitates easdem rerum publicarum permutationes passae sunt atque aliae; nam ipsae quoque suo quaeque tyranno subjectae intra breve tempus inprimis Spartanorum ope liberatae sunt. Pausanias[2]) deinde singulas has civitates ita

---

[1]) II. 6. 7: *Φάλκης δὲ ὁ Τημένου καταλαβὼν νύκτωρ Σικυῶνα σὺν Δωριεῦσι κακὸν μὲν ἅτε Ἡρακλείδην καὶ αὐτὸν ἐποίησεν οὐδέν, κοινωνὸν δὲ ἔσχε τῆς ἀρχῆς* et II. 13. 1: *Ῥηγνίδας ἐπ' αὐτὴν (Φλιοῦντα) ὁ Φάλκου τοῦ Τημένου Δωριεὺς ἔκ τε Ἄργους στρατεύει καὶ ἐκ τῆς Σικυωνίας. τῶν δὲ Φλιασίων τοῖς μὲν ἃ προεκαλεῖτο Ῥηγνίδας ἐφαίνετο ἀρεστά, μένοντας ἐπὶ τοῖς αὐτῶν βασιλέα Ῥηγνίδαν καὶ τοὺς σὺν ἐκείνῳ Δωριεῖς ἐπὶ ἀναδασμῷ γῆς δέχεσθαι.*

[2]) Regiones singulas ex urbibus nominat quibus adjacebant: *Κορινθίαν* II. 1. 1. *Σικυωνίαν* I. 27. 5. *Φλιασίαν* II. 12. 3. *Ἐπιδαυρίαν* II. 25 16. *Τροιζηνίαν* II. 34. 12. *Ἑρμιονίδα* II. 34. 6. Thucyd. II. 56. Item sua quaeque

persequitur, ut eluceat, eas suam quamque habuisse regionem circumjacentem, in quam suo arbitrio plenam dominationem exercerent. Quare eas bellis Persicis et bello Peloponnesiaco nullius alius civitatis imperio obnoxias bellandi participes fuisse legimus. Denique has civitates semper[1]) suam quamque rem-

urbs habebat *πολίσματα* et *κώμας*, quae erant in Corinthia: *Χαλκίς* (Thucyd. I. 108.) *Κεγχρεαὶ τὸ τῶν Κορινθίων νανσταθμον* (Strabo VIII. 369) *Οἰνόη* (Strabo VIII. 378) *Λέχαιον* (Strabo VIII. 380) *Σόλλιον* (Thucyd. II. 30) *Σολύγεια* (Thucyd. IV. 47) *Κρομμυών* et *Τενέα* (Strabo VIII. 380) *Πειραιός* (Thucyd. VIII. 10); in Sicyonia *Τιτάνη* (Paus. II. 23. 4) *Δονοῦσσα* (Paus. VII. 26. 13) *Ἐφύρα* (Strabo VIII. 338) *Αἰγιάλεια* (Paus. II. 7. 1 et 7) *Φοιβία* (Paus. IX. 15. 4); in Phliasia: *Κελεαί* (Paus. II. 12. 4 et 14. 1); ad Cleonas: *Νεμέα* (Paus. II. 15. 3) *Βέμβινα* (Strabo VIII. 377); in Epidauria: *Λῆσσα* (Paus. II. 26. 10 et 1) *Αἴγινα* (Strabo VIII. 375) *Τρνήθιον* (Paus. II. 28. 3); in Troezenia: *Γενέθλιον* et *Κελένδερις* (Paus. II. 32. 9) *Πώγων* (Herodot. VIII. 42) *Μέθανα* (Paus. II. 34. 1) *Ὑπέρεια* et *Ἄνθεια* (Paus. II. 30. 8) insulae *Ἱερὰ* et *Καλαύρεια* (Paus. II. 33. 1 et 2); in Hermionide: *Αλίκη* (Paus. II. 36. 1) *Μάσης* (Paus. II. 36. 2) insulae *Ἁλιοῦσσα, Πιθνοῦσσα, Ἀριστεράς, Τρίκρανα, Ἀπεροπία, Ὑδρέα* (Paus. II. 34. 6.); *Ἁλιαί* quae urbs Hermionidis olim fuisse videtur, quum Strabo VIII. 373 dicat: *Ἑρμιόνη δ' ἐστὶ τῶν οὐκ ἀσήμων πόλεων, ἧς τὴν παραλίαν ἔχουσιν Ἁλιεῖς λεγόμενοι θαλαττουργοί τινες ἄνδρες* bello Peloponnesiaco fuit sui juris, id quod ex Thucydide discimus II. 56: *ἀναγαγόμενοι δὲ (Ἀθηναῖοι) ἐκ τῆς Ἐπιδαύρου ἔτεμον τήν τε Τροιζηνίδα γῆν καὶ τὴν Ἁλιάδα καὶ τὴν Ἑρμιονίδα* et IV. 45: *καὶ φρούριον καταστησάμενοι (Ἀθηναῖοι) ἐλῄστευον τὸν ἔπειτα χρόνον τήν τε Τροιζηνίαν γῆν καὶ Ἁλιάδα καὶ Ἐπιδαυρίαν.*

[2]) Quod autem Muellerus Dor. I. 176. dicit: Denn auch Hermione, welches Herodot im Perserkriege noch als Dryoper-Stadt betrachtet, wurde nachher von Argeiern eingenommen. Die andern genannten Städte dagegen waren, wie wir von Orneä und auch Hysiä wissen, vorher schon Periöken, Unterthanen von Argos, gewesen, und wurden jetzt nur zur Vergrösserung der Hauptstadt herangezogen id prorsus falsum existimari debet. Pausanias si II. 34. 5. de Hermione dicit: *ἐπῴκησαν δὲ καὶ Ἑρμιόνα ὕστερον Δωριεῖς οἱ ἐξ Ἄργους. πόλεμον δὲ οὐ δοκῶ γενέσθαι σφίσιν· ἐλέγετο γὰρ ἂν ὑπὸ Ἀργείων* nihil aliud significare vult, nisi Hermionen quoque item ac ceteras Argolidis civitates Doriensium factam esse. Nam ut primo Doriensium impetu Hermionenses pariter atque incolas plurimarum Argolidis urbium sponte se tradidisse verisimile est, ita Doricis impetibus per tam longum tempus feliciter repulsis post bella demum Persica eos urbem suam sponte tradidisse prorsus incredibile est, et ita quidem tradidisse, ut in perioecorum conditionem detruderentur, id quod Muellerus putat. Re vera autem multo ante bella Persica Hermione Doriensium facta est ita quidem, ut segregaretur pariter atque ceterae de quibus nunc agitur civitates ab Argivorum regno; jam bello etiam Peloponnesiaco Hermionenses, liberae reipublicae participes, fuisse Lacedaemoniorum socios videmus (Thucyd. II. 56). Neque

publicam ab Argivorum civitate prorsus separatam habuisse, inde quoque patet, quod memoriae proditum non est, eas unquam vi adhibita Argivae dominationis jugum excussisse neque Argivos, quominus hoc fierit, impedire studuisse. Attamen omne terrarum spatium, quo hae civitates continebantur, communi nomine Argolis appellatum est, ex quo colligi potest, arctiorem inter ipsas et diuturniorem societatem intercessisse. Terrae Argolidi tum demum singulae civitates adscribebantur, postquam a Doriensibus occupatae sunt, quod Pausanias[1]) de Sicyone testatur, cujus regnum Phalces, Temeni filius, adeptus est. Neque ejus rei causam puto solum in eo positam esse, quod vel stirpis communio vel sedium vicinitas ipsa natura et tacito consensu talem societatem inter ipsos conciliaverit, ut unius terrae incolae haberentur; sed foedus eas mihi conciliasse videtur, certis legibus et pactionibus initum, quale fere Boeotorum civitates, quae et ipsae liberae suique juris erant, inter se conjunxit, ita ut statis temporibus in unum congregarentur ad consilia communicanda et ad controversias ipsarum legitime disceptandas. Quae opinio quum per se est vero simillima tum certis argumentis potest confirmari. Nam foedus aliquod inter Argolidis civitates intercessisse optime cognoscere possumus, si quomodo aliae in alias mutuo se gesserint observamus. Profecto summi momenti est, quod Argivos cum Corinthiis, Epidauriis, Troezeniis, Hermionensibus, Phliasiis, Sicyoniis de imperio vel de terrarum possessione certavisse nusquam memoriae proditum est nisi Phidone Argis et Clisthene Sicyone dominantibus, quorum tamen dominationes contra leges per vim partae nullis legum aut pactionum finibus circumscriptae erant. Si unquam Argivi cum his populis bellum gerunt, non de terrarum possessione certant, sed quum socii sint inimicorum populorum inter se bellum gerentium, veluti Peloponnesiaco

debet ea videri justa offensio, quod Herodotus bellis Persicis a Dryopibus habitatam eam esse dicit; quod enim Pausanias narrat Doriensibus nullam pugnam subeundam fuisse, inde colligere licet, Dorienses a Dryopibus sponte in urbem receptos esse, ita ut communiter terram colerent. Sin vero Herodotus de stirpibus singularum gentium agit, Dryopes, Hermionae incolas, licet Dorienses inter eos mixti principem locum obtinuerint, non minus afferre debet ac Cynurenses, quos ipse testatur sub Argivorum imperio Doriensium similes factos esse.

[1]) II. 7. 1: *Καὶ Δωριεῖς μὲν Σικυώνιοι γεγόνασιν ἀπὸ τούτου καὶ μοῖρα τῆς Ἀργείας.*

bello, quo Argivi a partibus Atheniensium steterunt, ceterae vero Argolidis civitates Lacedaemoniis faverunt; vel bellum gerunt inter se propter sacrificia neglecta veluti Argivi et Epidaurii; sed de terrarum possessione nunquam certant. Profecto hoc memoratu dignissimum est eoque magis, si consideramus, quot quantaque bella inter ceteras Graeciae civitates vicinas de terrarum possessione exarserint. Accedit quod Sicyoniis et Aeginetis, quum aliquando non nisi coacti cum Spartanis Argolicam ingressi essent, mulctae ab Argivis injunctae sunt[1]). Muellerus recte contendit[2]), Argivos non suo arbitrio multas injungere potuisse, sed quod socii fuerint foederis alicujus, quod esset laesum. Quam Muelleri sententiam esse veram patet ex Herodoti verbis quae sequuntnr: *Σικυώνιοι μέν νυν συγγνόντες ἀδικῆσαι ὡμολόγησαν ἑκατὸν τάλαντα ἐκτίσαντες ἀζήμιοι εἶναι, Αἰγινῆται δὲ οὔτέ συνεγινώσκοντο, ἦσάν τε αὐθαδέστεροι.* Neque enim Sicyonios putandum est poenas daturos fuisse, nisi Argivis jus concessissent mulctas irrogandi, neque Herodotus Aeginetas insolentiores dixisset, nisi neglexissent communes societatis alicujus leges. Quae quum ita sint, certis pactionibus inter Argolicas civitates sancitum fuisse videtur, ne qua civitas alterius terram laederet neve subjicere studeret. Simulque hoc loco docemur, Spartanos Argolici foederis participes non fuisse, quippe quibus, quum belli auctores fuissent, mulcta ab Argivis non injungeretur.

Sed gravius etiam opinionis meae praesidium est testimonium Pausaniae disertis verbis foederis Argivi mentionem facientis. Is enim testatur, alias quoque civitates, quae antea Argivi foederis expertes fuerint, hanc societatem postea iniisse propterea que Argolidi esse adnumeratas. Cujus generis loci sunt hi: Lib. VI. 12. 9 in universum de civitatibus agit, quae postea demum foederis Argivi participes factae sint: *τηνικαῦτα γοῦν ἐς Ἀρκάδας ἡγοῖτο ἄν τις συντελέσαι τοὺς Τριταιεῖς, καθὰ καὶ νῦν ἔτι Ἀρκάδων αὐτῶν εἰσὶν οἱ ἐς τὸ Ἀργολικὸν τελοῦντες.*

---

[1]) Herodot. VI. 92: *καὶ δή σφι οὗτοι (Ἀργεῖοι) μὲν οὐκέτι βοηθέουσι, μεμφόμενοι, ὅτι Αἰγιναῖαι νέες ἀνάγκῃ λαμφθεῖσαι ὑπὸ Κλεομένεος ἔσχον τε ἐς τὴν Ἀργολίδα χώρην καὶ συναπέβησαν Λακεδαιμονίοισι· συναπέβησαν δὲ καὶ ἀπὸ Σικυωνιέων νεῶν ἄνδρες τῇ αὐτῇ ταύτῃ ἐσβολῇ. Καί σφι ὑπ' Ἀργείων ἐπεβλήθη ζημίη, χίλια τάλαντα ἐκτῖσαι, πεντακόσια ἑκατέρους.*

[2]) Dor. I. 155: Dies konnten die Argeier nicht als einzelne Stadt, sondern nur im Namen einer Verbindung, die dadurch gekränkt und verletzt war.

Lib. VIII. 22. 1 et 23. 1 has civitates ipsas affert: *Στυμφήλιοι δὲ τεταγμένοι μὲν οὐ μετὰ Ἀρκάδων ἔτι εἰσὶν, ἀλλ' ἐς τὸ Ἀργολικὸν συντελοῦσι, μεταστάντες ἐς αὐτὸ ἐθελονταί;* altero loco dicit: *Μετὰ δὲ Στύμφηλόν ἐστιν Ἀλέα, συνεδρίου μὲν τοῦ Ἀργολικοῦ μετέχουσα καὶ αὕτη.*

Quare quum res ipsa postulare videatur, ut foedus Argolidis civitates conciliasse statuamus, et accedant certissima veterum scriptorum testimonia, quin re vera aliquod foedus exstiterit ne dubitare quidem licet.

Quo posito et probato, quum varia foederum genera Graecorum civitates inter se junxerint, quaerendum restat, quale Argolicarum civitatum foedus fuerit. Neque hoc foedus tale erat, ut eadem belli pacisque consilia adversus exteros caperent et conjunctis viribus bellum gererent; bella enim et intulisse et propulsasse singulas civitates separatim a ceteris videmus, immo vero fieri potuit, id quod factum saepius esse supra commemoravi, ut singulae civitates sociae essent diversis civitatibus bellum inter se gerentibus. Neque foedus tale erat, quales erant Spartanorum vel Atheniensium societates, ut sub principatu unius potentioris civitatis ceterae jungerentur. Itaque necessitate quadam coacti eo pervenimus, ut eam civitatum harum conjunctionem fuisse statuamus, quam Graeci amphictyoniam vocabant. Haec enim est amphictyoniarum vis, ut amphictyonibus custodia aliqua juris gentium observandi mandetur civitatesque hoc foedere conjunctae juris dictionem quoque habeant, si qua inter populos controversia exstiterit, et mulctam noxiis imponant eamque si opus est bello exsequantur. Amphictyoniam igitur fuisse inter Argolicas civitates verisimillimum est, quam tanquam veteris conjunctionis et stirpis communis memoriam solam retinuerint, atque conjunctio amphictyonica quaedam intelligenda esse videtur, quum Pausanias dicit civitates esse *μοίρας τῆς Ἀργείας* vel Stymphalum oppidum *ἐς τὸ Ἀργολικὸν συντελέσαι* vel Aleam *συνεδρίου τοῦ Ἀργολικοῦ μετασχεῖν.*[1])

---

[1]) *συνέδριον* multis locis idem significat atque *ἀμφικτυονία;* saepissime enim Delphica amphictyonia dicitur *συνέδριον* veluti Paus. X. 8. 2, ubi de amphictyonia Delphica agit: *Ὑπὸ μὲν δὴ Ἀμφικτυόνος αὐτοῦ φασὶν ἐς συνέδριον κοινὸν τοσάδε γένη τοῦ Ἑλληνικοῦ συναχθῆναι* etc. Deinde verba: *μοῖραν εἶναι* et *συντελεῖν* saepe a Pausania ita usurpantur, ut significent participem esse alicujus foederis veluti II. 1. 2: *αἴτιον δὲ τὸ συνέδριον τὸ Ἀχαιῶν. συντελοῦντες*

Sed hujusmodi communio, qualis est amphictyonia, quia inter vicinos populos potissimum jungebatur circa templum incolentes, in quo statis temporibus conventus fiebant junctorum populorum ad communia festa celebranda, ab hac de qua nunc agitur quaestione altera illa divelli non potest, cujus dei sacra socii hujus amphictyoniae communiter celebraverint. Consentaneum autem est, quum omnes Argolidis civitates originem cepissent e Doriensibus, qui Temeno duce Argos occupaverant, vel Argis ipsis vel prope hanc urbem illud templum commune fuisse, ad quod, ut communis originis memoriam renovarent, ad sacra facienda et ad certamina obeunda ex omnibus Argolidis civitatibus confluerent, ejusque curam ac moderationem Argivos ipsos habuisse. Sed apud Argivos Junonis longe maxima veneratio et existimatio erat, quae dea proprio nomine Argiva appellabatur, quum inde ab antiquissimo tempore tota Argolis ei sacra haberetur[1]). Quare Pindarus[2]) Argos ita celebrat: *Χάριτες, Ἄργος Ἥρας δῶμα θεοπρεπὲς ὑμνεῖτε* et: *ἔμολεν Ἥρας τὸν εὐάνορα λαὸν.* Neque ad ullum aliud Argivorum templum nisi ad Junonis ad ludos agendos homines confluxisse memoriae proditum est. Ludi qui Argis agebantur Heraea vel Hecatombaea dicti sunt[3]); quod autem centum boves immolabantur, ex eo ipso colligi potest, hoc sacrificium complurium civitatum commune fuisse, quum majus fuerit, quam quod ab una tantum civitate fieri posset. Deinde satis notum est, secundum sacerdotia Junonis Argivae tempora descripta esse[4]), quae temporum describendorum ratio, si non complurium civitatum communis, sed Argivorum propria fuisset, profecto non tanti momenti fuisset, ut aeque ac Spartanorum et Athenien-

---

γὰρ ἐς αὐτὸ καὶ οἱ Κορίνθιοι μετέσχον τοῦ πολέμου. I. 25. 4: *Ἀκαρνᾶνες ἐς τὸ Αἰτωλικὸν συντελοῦντες.* II. 8. 6: *ἔπεισε δὲ καὶ Ἀριστόμαχον τυραννοῦντα ἐν Ἄργει δημοκρατίαν ἀποδόντα Ἀργείοις ἐς τὸ Ἀχαϊκὸν συντελεῖν.*

[1]) Paus. II. 15. 5: *Τοῦτον δὲ (Φορωνέα) Ποσειδῶνι καὶ Ἥρᾳ δικάσαι περὶ τῆς χώρας, σὺν δὲ αὐτῷ Κηφισόν τε καὶ Ἀστερίωνα καὶ τὸν Ἴναχον ποταμόν· κρινάντων δὲ Ἥρας εἶναι τὴν γῆν* etc.

[2]) Nem. X. 1.

[3]) Schol. ad Pind Olymp. VII. 152: *ἐν τῷ Ἄργει πανήγυρίς ἐστι τῆς Ἥρας τὰ λεγόμενα Ἥραια καὶ Ἑκατόμβαια. Θύονται γὰρ ἑκατὸν βόες τῇ θεῷ.*

[4]) Thucyd. II. 2: *τῷ δὲ πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει, ἐπὶ Χρυσίδος ἐν Ἄργει τότε πεντήκοντα δυοῖν δέοντα ἔτη ἱερωμένης καὶ Αἰνησίου ἐφόρου ἐν Σπάρτῃ καὶ Πυθοδώρου ἔτι δύο μῆνας ἄρχοντος Ἀθηναίοις, μετὰ τὴν ἐν Ποτιδαίᾳ μάχην μηνὶ ἕκτῳ καὶ ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ Θηβαίων ἄνδρες ὀλίγῳ πλείους* etc.

sium a Thucydide commemoraretur. Quare eam omnium Argolidis civitatum communem fuisse opinor, atque confirmor in hac opinione, quod Plutarchus memoriae prodidit[1]), Sicyone in tabula quum poetas et musicos ludorum victores tum sacerdotes Junonis Argivae inscriptos esse. Jam antiquissimo tempore veneratio hujus templi erat maxima neque dubitari posse videtur, quin, quum jam ante Doriensium migrationem non exigua fuerit hujus templi auctoritas ad jura legesque accolarum sanciendas, is populus, qui ejus procurationem susceperit, principatum quendam obtinuerit vicinorum populorum. Nam quotiescunque vetustissimis temporibus Argivorum regnum inter duos reges divisum est, semper scriptores veteres disertis verbis tradunt[2]), uter Heraeum acceperit, vel Heraeum commune utrique permansisse, quae res documento esse potest, certa praecipua jura conjuncta fuisse cum procuratione hujus templi. Deinde bellis Persicis Mycenaeos, quum propter veterem suae urbis gloriam ipsi principes Argolidis esse vellent propterea que desciscerent a communibus Argivorum consiliis, sibi arrogasse videmus procurationem Heraei, quod templum, licet antiquitus Mycenaeorum ob locorum situm potius fuerit quam Argivorum, tamen inde a Doriensium adventu in potestate Argivorum fuisse hac ipsa re docemur[3]). Denique venerationem hujus deae omnibus Argolidis civitatibus communem fuisse, inde quoque elucet, quod non Argis solum, sed in ceteris quoque Argolidis

---

[1]) De mus. III. 8: *πιστοῦται δὲ τοῦτο ἐκ τῆς ἀναγραφῆς τῆς ἐν Σικυῶνι ἀποκειμένης, δι' ἧς τάς τε ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τοὺς ποιητὰς καὶ τοὺς μουσικοὺς ὀνομάζει.*

[2]) Strabo VIII. 372: *διείλοντο τὴν χώραν εἰς δύο βασιλείας τὸ πρῶτον, ὥστε τὰς ἡγεμονευούσας ἐν αὐταῖς δύο πόλεις ἀποδειχθῆναι πλησίον ἀλλήλων ἱδρυμένας ἐν ἐλάττοσιν ἢ πεντήκοντα σταδίοις, τό τε Ἄργος καὶ τὰς Μυκήνας, καὶ τὸ Ἡραῖον εἶναι κοινὸν ἱερὸν τὸ πρὸς ταῖς Μυκήναις ἀμφοῖν.* Paus. II. 16. 2: *οἱ δὲ Ἄβαντος τοῦ Λυγκέως παῖδες τὴν βασιλείαν ἐνείμαντο, καὶ Ἀκρίσιος μὲν αὐτοῦ κατέμεινεν ἐν τῷ Ἄργει, Προῖτος δὲ τὸ Ἡραῖον καὶ Μιδείαν καὶ Τίρυνθα ἔσχε καὶ ὅσα πρὸς θαλάσσῃ τῆς Ἀργείας.*

[3]) Diod. Sicul. XI. 65: *Ἐπὶ δὲ τούτων Ἀργείοις καὶ Μυκηναίοις ἐνέστη πόλεμος διὰ τοιαύτας αἰτίας. Μυκηναῖοι διὰ τὸ παλαιὸν ἀξίωμα τῆς ἰδίας πατρίδος οὐχ ὑπήκουον τοῖς Ἀργείοις ὥςπερ αἱ λοιπαὶ πόλεις αἱ κατὰ τὴν Ἀργείαν, ἀλλὰ κατ' ἰδίαν ταττόμενοι τοῖς Ἀργείοις οὐ προσεῖχον. Ἠμφισβήτουν δὲ καὶ περὶ τῶν ἱερῶν τῆς Ἥρας καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν Νεμεαῖον ἠξίουν ἑαυτοὺς διοικεῖν.*

civitatibus Junonis templa erant veluti Corinthi[1]), Sicyone[2]), Phliunte[3]), Epidauri[4]), Hermionae[5]), in Aegina insula[6]). Qua sola de causa, etiamsi alia argumenta non accederent, fere satis magnam fidem haberet opinio: Junonem Argivam fuisse tutelare numen foederis alicujus.

Sed ut omnia, quae adhuc de amphictyonia Argiva disputata sunt, breviter complectamur: habemus complures cognatarum gentium civitates, quas foedere conjunctas fuisse certo scimus, habemus foederis hujus caput quod nusquam potuit esse nisi Argis; ibi enim primum imperium Heraclidarum, qui Argolicam ingressi erant, conditum est indeque ceterae quoque civitates Doriensium factae sunt; itaque observato et loci et aetatis honore fieri non potuit, quin Argis esset foederis sedes; deinde notissimum est summam in tota Argolide fuisse Junonis Argivae religionem. Jam vero si constat Argivorum fuisse Junonis templum celeberrimum, si ejusdem deae constat apud ceteros quoque omnes hujus terrae populos templa fuisse, si item constat, ad id quod Argivorum erat templum multos populos ad certamina obeunda confluxisse neque minus Diodoro auctore constat, ejus templi potestatem Argivis cum aliis fuisse communicatam; narrat enim Diodorus quo dixi loco, Argivos cum Mycenaeis de templi procuratione certasse, id quod fieri non potuit, nisi Mycenaei aliquam certe quamquam minorem hujus templi potestatem habuissent; denique si Herodoto auctore constat Sicyoniis et Aeginetis mulctas injunctas esse ab Argivis, quae documento est, hos populos talis foederis, quod esset amphictyoniarum naturae convenientissimum, lege obstri-

---

[1]) Strabo VIII. 380: *ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τοῦ Λεχαίου καὶ Παγῶν τὸ τῆς Ἀκραίας μαντεῖον Ἥρας ὑπῆρχε τὸ παλαιόν* etc. cf. Plutarch. Agesil. II. 1.

[2]) Paus. II. 12. 2: *Ἐκ δὲ Τιτάνης ἐς Σικυῶνα ἀφικομένοις καὶ καταβαίνουσι ἐς θάλασσαν ἐν ἀριστερᾷ τῆς ὁδοῦ ναὸς Ἥρας.*

[3]) Xenophon Hellenic. VII. 2. 1: *Οὕτω δὲ τούτων προκεχωρηκότων, καὶ τῶν τε Ἀργείων ἐπιτετειχικότων τῷ Φλιοῦντι τὸ ὑπὲρ τοῦ Ἡραίου Τρικάρανον* etc.

[4]) Paus. II. 29. 1: *τὸ δὲ πρὸς τῷ λιμένι ἐπὶ ἄκρας ἀνεχούσης ἐς θάλασσαν λέγουσιν Ἥρας εἶναι.*

[5]) Paus. II. 36. 2: *ἱερὰ δὲ καὶ ἐς τόδε ἐπὶ ἄκρων τῶν ὀρῶν, ἐπὶ μὲν τῷ Κοκκυγίῳ Διός, ἐν δὲ τῷ Πρωνί ἐστιν Ἥρας.*

[6]) Schol. ad Pind. Pyth. VIII. 118: *ὡς καὶ ἐν Αἰγίνῃ Ἡραίων ἀγομένων κατὰ μίμησιν τοῦ ἐν Ἄργει ἀγῶνος. ἄποικοι γὰρ Ἀργείων Αἰγινῆται. Δίδυμος δέ φησι τὰ Ἑκατόμβαια αὐτόν νῦν λέγειν ἐπιχώριον ἀγῶνα Αἰγινητῶν, διὰ τὴν συγγένειαν.*

ctos fuisse, profecto satis magna haec testimonia sunt, quibus intelligatur, quod Argolicas civitates conjungeret foedus fuisse amphictyonicum idque Herae Argivae [1]). Neque id puto recte objici posse, quod, quum ejus deae templum jam ante Heraclidarum reditum nobile fuisset neque ab origine Doricum esset, non potuerit aptum videri ad recipiendam Doricarum institutionum religionem. Nam profecto si Dorienses veterum, quorum terram occupaverant, incolarum fabulas arripiebant easque aptas habebant, quibus suam originem exornarent, non potest mirum videri, quod templum quoque deae, quae jam ante eorum migrationem praecipuo honore culta erat, ipsi etiam insigni veneratione celebraverint atque adeo sedem fecerint ejus quod in terra huic deae sacra inter se conciliaverunt foederis. Quare praeter illam fabulam, ex qua Heraclidae Apollinis suasu et instinctu Peloponnesum ingressi esse feruntur, Argivi alteram de se ipsis finxerant, ex qua a Junone se in Argolidem ductos esse dicebant, ut ibi magnos labores susciperent. Nam profecto quando de amphictyonia Dorica agitur, quam intelligo eam, quae omnes tres Doriensium gentes, Argivos, Lacedaemonios, Messenios amplexa sit, fieri non potuisse, quin huic Apollo Pythaensis praeesset, nemo est qui infitiari possit; nam is deus praeter ceteros Doriensium tutelaris ferebatur, quippe quem jam olim ante reditum in Peloponnesum coluissent et quo auctore se nova regna occupasse putarent. Sed si agitur de Argiva amphictyonia nullas nisi Argolicas civitates amplectente, fere sponte deducimur ad Junonem Argivam, cujus deae veneratio, quod ad Argivos attinet, multo saepius a scriptoribus commemoratur quam Apollinis Pythaensis.

Amphictyoniam enim aliquam re vera in Peloponneso exstitisse fere nemo est qui neget; sed in controversiam vocatur, quam late patuerit haec amphictyonia. Atque Haasii potissimum, viri illustrissimi, quam in lectionibus de antiquitatibus

---

[1]) Non omittendum est, Sainte-Croix et Le Bas, viros doctissimos, in eadem sententia fuisse; sed quae ab his hac de re scripta sunt, cognoscere non potui, quum eorum libri in manibus non essent. Amphictyoniam Argivam re vera exstitisse, hac in sententia Muellerum quoque Dor. I. 154 prorsus consentientem habeo, nisi quod ille Apollinem Pythaensem tutorem hujus foederis fuisse putat.

Graecis protulit, afferenda est sententia: amphictyoniam Doricam exstitisse, cujus participes fuerint Messenii, Argivi, Lacedaemonii.

Nititur sententia haec his inprimis locis:

Plato legg. III. 684: *Βασιλεῖαι τρεῖς βασιλευομέναις πόλεσι τριτταῖς ὤμοσαν ἀλλήλαις ἑκάτεραι κατὰ νόμους, οὓς ἔθεντο, τοῦτε ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι κοινοὺς, οἱ μὲν, μὴ βιαιοτέραν τὴν ἀρχὴν ποιήσεσθαι, προϊόντος τοῦ χρόνου καὶ τοῦ γένους· οἱ δὲ, ταῦτα ἐμπεδούντων τῶν ἀρχόντων, μήτε αὐτοὶ τὰς βασιλείας ποτὲ καταλύσειν, μήτ' ἐπιτρέψειν ἐπιχειροῦσι ἑτέροις, βοηθήσειν δὲ βασιλεῖς τε βασιλεῦσιν ἀδικουμένοις καὶ δήμοις, καὶ δῆμοι δήμοις καὶ βασιλεῦσιν ἀδικουμένοις.*

Thucyd. V. 53: *Τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους Ἐπιδαυρίοις καὶ Ἀργείοις πόλεμος ἐγένετο, προφάσει μὲν περὶ τοῦ θύματος τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πυθαέως, ὃ δέον ἀπαγαγεῖν οὐκ ἀπέπεμπον ὑπὲρ παραποταμίων Ἐπιδαύριοι· κυριώτατοι δὲ τοῦ ἱεροῦ ἦσαν Ἀργεῖοι.*

Diod. Sicul. XII. 78: *ἐπὶ δὲ τούτων Ἀργεῖοι μὲν ἐγκαλέσαντες τοῖς Λακεδαιμονίοις ὅτι τὰ θύματα οὐκ ἀπέδοσαν τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ, πόλεμον αὐτοῖς κατήγγειλαν.*

Paus. II. 36. 5: *Ἀργεῖοι δὲ ἐς ἔδαφος καταβαλόντες τὴν Ἀσίνην καὶ τὴν γῆν προσορισάμενοι τῇ σφετέρᾳ, Πυθαέως τε Ἀπόλλωνος ὑπέλιπον τὸ ἱερόν*, etc.

Paus. II. 35. 2: *Ἀπόλλωνος δέ εἰσι* (scil. *Ἑρμιονεῦσι*) *ναοὶ τρεῖς καὶ ἀγάλματα τρία· καὶ τῷ μὲν οὐκ ἔστιν ἐπίκλησις, τὸν δὲ Πυθαέα ὀνομάζουσι, καὶ Ὅριον τὸν τρίτον· τὸ μὲν δὴ τοῦ Πυθαέως ὄνομα μεμαθήκασι παρὰ Ἀργείων.*

Ac primum quidem Platonis locum examinemus. Agitur hoc loco de antiquissimis Doriensium institutis, e quibus et reges vetabantur cum superbia et arrogantia in cives consulere eorumque libertatem in angustiores fines cohibere, et cives regum legitimam potestatem subvertere. Haec est prisca et genuina Doriensium indoles, quam ut describat Muellerus non inscite affert Pindari locum, ubi, quomodo Hiero condiderit Aetnam urbem, pulcherrime poeta narrat[1]). Sed quum haec

[1]) Pyth. I. 61:

τῷ πόλιν κείναν θεοδμάτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ
Ὑλλίδος στάθμας Ἱέρων ἐν νόμοις ἔκτισσ'. ἐθέλοντι δὲ Παμφύλου
καὶ μὰν Ἡρακλειδᾶν ἔκγονοι
ὄχθαις ὕπο Ταϋγέτου ναίοντες αἰεὶ μένειν τεθμοῖσιν ἐν Αἰγιμιοῦ
Δωρίοις.

sit genuina Doriensium indoles, ut Dorica reipublicae gerendae ratio recovari non possit ad certas pactiones et instituta, id quod rectissime Muellerus dicit[1]), sed ut una cum Dorica gente exstiterit, Lycurgus quoque Spartanorum institutorum non auctor habendus est, sed quum in ceteris civitatibus Doriensium genuinam indolem paulatim degeneravisse animadvertisset, ut Dorica instituta in sua republica quam diutissime permanerent, efficere studuit. Quod recte Muellerum contendere testatur idem Plato[2]). Pindarus igitur quo dixi loco Hieronem praedicat urbi Aetnae quum conderet divinam libertatem praestitisse idque fecisse sequentem Aegimii instituta et normas, id est, sequentem morem Doriensibus a principio insitum. Sed quum hic sit mos veterum Graecorum, ut quae vel mente vel sensibus percipiunt in certa persona vel in certis eventis videre cupiant, variis fabulis quasi corporibus ea involvunt. Quare ut, quia re vera antiquitus Doriensium exercitus in tres partes divisus est, quarum tres duces Temenus, Crespontes, Aristodemus occupaverunt Argolidem, Messeniam, Laconicam, hoc eventum veteres Graeci ita finxerunt, quasi tres illi duces, quae terra unicuique obtingeret, sortiti essent, id quod profecto nemo est, qui re vera factum esse contenderit, ita ii, quum intuerentur ingenium Doriensium tyrannis infestissimum et quietae reipublicae conditionis et aequabilis amans, foedus finxisse putandi sunt, quod tres illi Dorici reges et exercitus inter se junxissent ad regum potestatem et civium libertatem semper servandam. Itaque ego quidem hoc de quo Plato agit foedus minime vere factum putaverim, praesertim quum ille ipse totam rem tanquam mythicam narret; dicit enim quo dixi loco paulo supra: *τὸ δὲ δὴ μετὰ τοῦτο ἔδοξεν αὐτοῖς, ὥς γε λέγεται τὸ τοῦ μύθου, τριχῇ τὸ στράτευμα διανείμαντας τρεῖς πόλεις κατοικίζειν, Ἄργος, Μεσσήνην, Λακεδαίμονα.* Sed hoc foedus, licet re vera exstiterit, tamen si amphictyoniarum naturam spectamus, amphictyoniam fuisse vix putaverimus. Nam amphictyonias ad discordias inter diversas civitates sedandas vim et sibi arro-

---

[1]) Dor. II. 10.

[2]) Epist. VIII. 354: *ὡς ἔδειξεν ἔργῳ σοφὸς ἀνὴρ καὶ ἀγαθὸς Λυκοῦργος, ὃς ἰδὼν τὸ τῶν οἰκείων γένος ἐν Ἄργει καὶ Μεσσήνῃ ἐκ βασιλέων εἰς τυράννων δύναμιν ἀφικομένους καὶ διαφθείραντας ἑαυτούς τε καὶ τὴν πόλιν ἑκατέρους ἑκατέραν, δείσας περὶ τῆς αὑτοῦ πόλεως ἅμα καὶ γένους, φάρμακον ἐπήνεγκε τὴν τῶν γερόντων ἀρχὴν καὶ τὸν τῶν ἐφόρων δεσμὸν τῆς βασιλικῆς ἀρχῆς σωτήριον.*

gasse et exercuisse multis exemplis comprobatum est; nullo ne tenuissimo quidem testimonio comprobatum est eas unquam valuisse ad discordias domesticas singularum civitatum tollendas. Quae quum ita sint, quum omnino dubitare licet, num re vera id quod Plato memorat foedus junctum sit, tum negari debet, illud foedus quamvis exstiterit fuisse amphictyonicum; tantisper certe negari debebit, donec certis exemplis erit comprobatum, amphictyonias non solum sancitas esse inter diversas civitates verum etiam inter reges et populos diversarum civitatum, ita ut unaquaque civitate in duas quodammodo partes dilapsa reges conjuncti cum populis conjunctis foedus facerent.

Quodsi vera sunt quae modo exposui, nullum aliud amphictyoniae omnes Dorienses civitates amplectentis praesidium restat nisi quod scriptores testantur Apollinis Pythii templum fuisse commune Doricarum civitatum. Sed item constat Junonis Argivae templum commune fuisse Argolicarum civitatum. Jam vero Argolicas civitates foedere aliquo sociatas fuisse certis scriptorum testimoniis comprobatum est, quod foedus fere nullum aliud potuit esse nisi amphictyonicum. Doricas civitates in Peloponneso ullo foedere conjunctas fuisse nescimus. Quare cui nihil persuasum est nisi quod certis argumentis firmari possit, is Argivam tantum amphictyoniam exstitisse putare debet; ea enim sola certa omnique dubitatione exemta videtur. Qui vero ea quoque amplectitur, quae verisimilia videntur, is amphictyoniam Doricam quoque praeter illam Argivam accipere vetari non potest. Nam quum Doriensium in Peloponnesum migratio Delphici oraculi auctoritate suscepta esset, Doriensesque postea quoque principem locum in Delphica amphictyonia obtinuisse notum sit, nihil magis credibile est nisi eos in novis quoque sedibus templum commune constituisse, quo licet sedes mutavissent tamen conjunctionem vetustam sublatam non esse testarentur. Templum Doriensium commune Argis re vera fuisse satis locis supra allatis exploratum est. Illud vero dubium videri potest, num haec templi communio amphictyoniae nomen et vim habuerit. Quum enim Delphicae amphictyoniae maxima fuerit inter Graecos auctoritas ejusque principes etiam post Heraclidarum migrationem fuerint Dorienses, altera illa amphictyonia Dorica, cujus sedes Argis fuerit, supervacanea videri debet. A Doriensibus certe,

qui Peloponnesum occupaverant, nihil omnino majoris negotii susceptum est nisi nuntiis antea Delphos missis; cujus rei luculentissima documenta Spartani praebent. Amphictyoniam contra Doricam, cujus sedem Argis fuisse contendunt, unquam valuisse ad moderanda rerum gerendarum consilia nullis certis testimoniis confirmatum est. Consentaneum autem est, si communio templi, quod erat Argis, fuisset amphictyonica, quam, quum eidem deo fuerit sacra, etiam iisdem legibus ac Delphicam amphictyoniam sancitam esse putare debemus, Dorienses multo saepius ejus foederis auctoritatem petituros fuisse quam Delphici, id quod propter locorum situm fieri facilius potuit.

Denique non omittendum est, duo illa argumenta, quibus Doricam amphictyoniam exstitisse contenditur, et locum illum Platonis et id, quod Doricarum civitatum Apollinis templum commune fuit, ita inter se diversa esse et repugnare, ut simul ad hanc unam sententiam probandam afferri non possint. Sed ponamus et Platonis verba et hujus templi communionem ad idem foedus referenda esse: profecto paene mirabile esset, si hujus foederis, quod tempore Peloponnesiaci belli ita adhuc valuisse videmus, ut Argivi eo nisi mulctas Epidauriis injungere possent, tam tenuis memoria brevi tempore post superfuisset, ut Platoni, qui ipse testatur, se rem ita ut sit in fabula narrare, ea tanquam fabulosa et paene ex hominum animis exstincta revocanda esset.

Quibus expositis ego quidem non dubito, quin ille quoque Pausaniae locus, qui varias virorum doctorum interpretationes expertus est, ad amphictyoniam Argivam referendus sit. Messenii enim, quum controversiae exortae essent inter ipsos et Spartanos, voluerunt rem amphictyoniae apud Argivos utriusque civitatis cognatos aut Areopago Atheniensium disceptandam committere. Locus Pausaniae legitur libro IV. 5. 2 talis:

Πολυχάρην δὲ ἐκδοῦναι μὲν ἐπὶ τιμωρίᾳ Λακεδαιμονίοις οὔ φασιν, ὅτι μηδὲ ἐκεῖνοι σφίσιν Εὔαιφνον, ἐθέλειν μέντοι παρὰ Ἀργείοις συγγενέσιν οὖσιν ἀμφοτέρων ἐν Ἀμφικτυονίᾳ διδόναι δίκας, ἐπιτρέπειν δὲ καὶ τῷ Ἀθήνῃσι δικαστηρίῳ.

Quo loco disertis verbis amphictyoniae Argivae mentio fit, ita ut de amphictyonia Delphica vel de amphictyonia Calauriensi ne cogitari quidem possit, neque video, quid quominus Argivam intelligamus amphictyoniam obstet. Etenim consentaneum est, Messenios talibus arbitris juris dictionem commit-

tere voluisse, quos non praejudicatis opinionibus occupatos, sed sincere et ut par esset controversias esse disceptaturos sperare possent, id est talibus arbitris, quorum quum controversia ad ipsos non pertineret, nihil interesset, utra civitas victrix evaderet; quare arbitros commendaverunt et amphictyoniam Argivorum, quos, quum utriusque civitatis litigantis essent cognati, aequos judices fore Lacedaemonii non minus ac Messenii sperare poterant, et Areopagum Atheniensium, qui utriusque civitatis neque amici neque inimici erant; atque quod duorum judiciorum Messenii optionem Lacedaemoniis obtulerunt, eo ipso testati sunt, quantopere sua causa freti essent. Neque ex duobus quae Pausanias delegit verbis: *δίκην δοῦναι* et *ἐπιτρέπειν* concludi poterit: Lacedaemonios et Messenios participes fuisse hujus amphictyoniae. Neque enim recte contendi potest, quod Pausanias dixerit, Messenios voluisse *δίκην δοῦναι* in Argivorum judicio, inde colligendum esse, ibi eos suos judices habuisse; contra quod de Atheniensium judicio posuerit *ἐπιτρέπειν* verbum, apparere Athenienses tales arbitros fuisse, qui libero litigantium consensu eligerentur; itaque inter duas has rationes, quarum optionem Spartanis Messenii obtulerint, hoc potissimum interesse, quod Argis si fiat judicium, inter se litem dirimant socii dissidentes et in eo judicio, quod antiquitus sociorum litibus dirimendis constitutum sit; ibi igitur eos suis judicibus legitime constitutis uti; contra si ad Athenienses causa deferatur, alienos arbitros communi consensu capi, quos utrique confidant justos fore; quare si amphictyoniae a Pausania commemoratae neque Messenii neque Spartani socii fuissent, non recte eum positurum fuisse *δίκην δοῦναι*, quoniam Argivi pariter atque Athenienses arbitri capti essent. Sed profecto apud scriptores veteres discrimen illud non observatur; utrumque verbum nihil aliud significat nisi in universum: judicium aliquod subire. Cujus rei certissimum documentum attulisse satis erit unum Thucydidis locum, ubi in simili re haec verba ita usurpantur, ut *δίκην δοῦναι* ponatur de eo quod fit libro litigantium consensu judicio, contra *ἐπιτρέπειν* de eo judicio, quod sociorum litibus dirimendis antiquitus constitutum est. Legitur hic locus I. 28: *Ἐπειδὴ δὲ ἐπύθοντο οἱ Κερκυραῖοι τὴν παρασκευὴν, ἐλθόντες ἐς Κόρινθον μετὰ Λακεδαιμονίων καὶ Σικυωνίων πρέσβεων, οὓς παρέλαβον, ἐκέλευον Κορινθίους τοὺς ἐν Ἐπιδάμνῳ φρουρούς τε καὶ οἰκήτορας ἀπάγειν, ὡς οὐ μετὸν αὐτοῖς Ἐπιδά-*

μινου. εἰ δέ τι ἀντιποιοῦνται, δίκας ἤθελον δοῦναι ἐν Πελοποννήσῳ παρὰ πόλεσιν αἷς ἂν ἀμφότεροι ξυμβῶσιν· ὁποτέρων δ' ἂν δικασθῇ εἶναι τὴν ἀποικίαν, τούτους κρατεῖν. ἤθελον δὲ καὶ τῷ ἐν Δελφοῖς μαντείῳ ἐπιτρέψαι. Corinthios fuisse socios Delphicae amphictyoniae constat[1], Cercyram, quippe quae esset colonia Corinthiorum, et ipsam participem fuisse verisimillimum est.

Alter quoque locus afferendus est, qui ad quam amphictyoniam referendus sit valde dubitare licet. Plutarchus Parall. Gr. et Rom. III. p. 306 narrat: *Ἀργείων καὶ Λακεδαιμονίων ὑπὲρ Θυρεάτιδος χώρας πολεμούντων, οἱ Ἀμφικτύονες ἔκριναν πολεμῆσαι ἑκατέρους καὶ τῶν νικησάντων εἶναι τὴν χώραν* et paulo infra: *καὶ τῶν δύο στάσιν ἐχόντων, οἱ Ἀμφικτύονες αὐτόπται γενόμενοι Λακεδαιμονίους προκρίνουσι.* Argiva amphictyonia vix intelligi potest, quod verisimile non est, Lacedamonios arbitrium amphictyoniae permisisse, cujus participes, quum hostes essent, ipsi non essent. Quare, qui Doricam amphictyoniam in Peloponneso exstitisse putat, ei haec intelligenda esse videbitur. Quam sententiam qui non sequitur, quominus Delphicam amphictyoniam intelligat, nihil est, quod obstet; immo vero commendatur haec opinio, quod, quae amphictyonia intelligenda sit, additum non est. Delphica enim amphictyonia una omnium tam nobilis erat et tam late patens, ut ejus participes quasi proprio ipsis nomine amphictyones vocarentur.

---

[1]) Paus. X. 8. 5.

VITA.

Natus sum Fridericus Guilelmus Lilie Vratislaviae undequadragesimo hujus saeculi anno a. d. VII. Cal. Sextil. patre Friderico Guilelmo, philos. doctore et professore, matre Valesca e gente Bartikowskiana; qui ut beatam senectutem nanciscantur Deum O. M. precor. Fidei sum addictus evangelicae. Primis litterarum elementis in ludo, qui est ad St. Mariae Magdalenae, imbutus adii gymnasium Magdalenense, cujus rector est Schoenborn vir illustrissimus et prorector ipse pater meus. Itaque id felicissimum mihi evenit, ut cujus virtus in vita mihi summo opere imitanda proposita est, eundem in litteris quoque optimum ducem sequi possem. Sed praeterea quoque per omne tempus, quo hoc gymnasium frequentavi, benevolentissimos nactus sum praeceptores, inter quos Schoenborn V. Ill. inprimis me juvit neque, postquam e scholae spatiis excessi, desiit mihi benevolentiae suae documenta praebere, quorum nunqnam in me exstinguetur memoria. Maturitatis testimonium nactus vere a. h. s. LVIII. hanc almam Viadrinam adii et civibus academicis ab Elvenich, viro illustrissimo, tunc fasces academicos tenente, adscriptus nomen professus sum apud facultatem philosophorum, quorum decanus spectabilis tunc erat Loewig, vir amplissimus. Inde ab hoc tempore plus quadriennium philologicis studiis operam navavi et lectionibus interfui virorum clarissimorum: Behnsch, Bernays, Braniss, Cauer, Elvenich, Haase, Roepell, Rossbach, Westphal. Praeterea per complura semestria eximiam et utilitatem et voluptatem percepi ex exercitationibus philologicis et archaeologicis, quarum has Rossbach, illas Westphal moderabatur, atque inter sodales seminarii philologici receptus per tria semestria quam maximum possem fructum percipere studui ex uberrima doctrina virorum clarissimorum Haase et Rossbach, erga quos animo grato esse nunquam desistam.

THESES.

I. Non probo equidem, quod quidam volunt, scholasticae juventuti graecae, latinae, germanicae linguae praecepta ita tradi, ut contineantur una grammatica, quam vocant parallelam.

II. Assentior iis, qui templi formam apud Graecos ex forma domus privatae profectam esse contendunt.

III. Quae res apud Sallustium in conjuratione Catilinae inde a capite 26 usque ad caput 32 leguntur, eas re vera eo ordine contendo gestas esse, quo scriptor narrat.

IV. Verba, quae apud Strabonem leguntur VIII. 376: *οὐδὲ τὸ Λύρκειον, οὐδ᾽ Ὀρνεάς· κῶμαι δ᾽ εἰσὶ τῆς Ἀργείας, ἡ μὲν ὁμώνυμος τῷ ὄρει τῷ (Λυρκείῳ), αἱ δὲ ταῖς Ὀρνεαῖς ταῖς μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος ἱδρυμέναις* non deberi interpolatori contra Kramerum et Meinekium contendo.

V. Soph. Trach. v. 678 scribendum esse censeo: *καὶ ψῇ κατ᾽ ἄκρας σπιλάδας* pro eo quod est in libris *σπιλάδος*.


3 0112 126256228